BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
10 F
12

1226

De Perfecto Principe
AD
CLEMENTEM
VIII.

APOPHTHEGMATA
CARD. P. ALDOBRANDINI
IN QVIBVS ARS IMPERANDI
TENETVR INCLVSA

AB

HENRICO FARNESIO EBVRONE I.C.
& Artis Oratoriæ in Ticinenſi Gymnaſio, Regio Interprete, in librum vnum congeſta,

ATQVE REGVM, IMPERATORVM,
ac ſapientiſſimorum Heroum exemplis,

Ex omni antiquitate aucta, & locupletata.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

TICINI, Ex Typographia Andreæ Viani. MDC.

De Conſenſu Superiorum.



CLEMENS VIII·PONT·MAX·

CLEMENTI VIII.

APOPHTHEGMATA CARD.

P. ALDOBRANDINI

DE

PERFECTO PRINCIPE

PLENA AD BENE BEATEQ.

IMPERANDVM

DOCTRINÆ MVLTOQVE

VRBANITATIS SALE

ASPERSA

HENRICVS FARNESIVS EBVRO

PVBLICÆ VTILITATIS

ERGO

EX PRISCÆ ANTIQVITATIS

MONIMENTIS RECOGNITA

NVNCVPAT DICATQVE.


RANDINVS S.R.E

Quòd ſemper cum
ANTIQVISSIMA
ALDOBRANDINORVM
DOMO
CREVERIT RELIGIO, IN QVA ARS, arxq; omnis fundata eſt Imperij,
AD PRAESTANTISSIMVM
Religione, & Pietate Cardinalem
P. ALDOBRANDINVM

Henricus Farneſius Eburo.

PARVM eſt, fateor, Cardinalis Genere, ac virtute Ampliſſime P. ALDOBRANDINE, in rebus operoſis, vacare negligentia. Habet enim cura etiam ſolers, & diligens ſuos reprahenſionis morſus, & aculeos. Nam qui audet, quod ſupra vires eſt, attentare: non tam videtur notam vitare negligentiæ, quàm in reprehenſionem temeritatis incurrere. Quare ne error potius exeat, quàm officium: modus adſit oportet. Statueram autem de te, hoc eſt, de optimi Principis fabrica, & ſtructura ſcribere: ſed partim orationis inopiæ, & ieiunitati diffiſus: partim rerum à te

geſtarum magnitudine territus, conſilium abieci. Nam exemplo inſtructus Charilli, cuius ſcripta, in laudatione, probri plus Alexandro Macedoni attulerunt, quàm laudis: nihil auſus ſum, quod impar eſt meis humeris, in tanta rerum à te geſtarum amplitudine, ſuſcipere. Cùm igitur penderem animi, nec mihi viderer poſſe, ſine quaſi iuſtitiæ vulnere, tuas laudes præterire: quia alteri, quod debet, qui non reddit, fit iniuſtus: tum fortè Pápiæ Reuerendiſs. Generalis Carmelitarum HENRICVS Syluius ſummæ tuæ in ſe beneficentiæ memor: vir acri ingenio, pariq; virtute, & doctrina, qui ſumma te colit, & obſeruat beneuolentia, ne animum abijcerem monuit, atq; ita me confirmauit, vt eo, qui me pungebat, omnino quaſi liberarit ſcrupulo. Res eſt, ait, neq; artis ad inueſtigandum: neq; doctrinæ ad iudicandum: ſed tantum conſilij, & deliberationis ad ſuſcipiendum. Nam ALDOBRANDINORVM virtus attrectatur, non auditur: in manus ſumitur, non procul apparet, eorumq; gloria plena ſunt vniuerſa dicendi genera. Nec ipſa inanima mundi fabrica, de eorum laudibus muta eſt, & elinguis, ſed eius vocibus, præclara ALDOBRANDINORVM facinora reſonant omnia. Nam quemadmodum olim Crotoniatæ, & Metapontini ex Pythagoræ domo, qui de vita migrarat, Dei templum fecerunt, vt Pythagoram, quaſi numen quaddam ſempiterna colerent memoria: ita ALDOBRANDINORVM domus, cuius virtus, & gloria nullis, neq; Italiæ, neq; Hiſpaniæ, neq; Galliæ finibus clauſa poteſt teneri, quaſi

diuinitus

diuinitus facta eſt Gentium omnium ſchola, ac totius mundi arx munitiſſima, ne deinceps antè quàm mundus, ALDOBRANDINORVM intereat memoria. Habes inquit ſapientiſſimus ille Carmelitarum Antiſtes HENRICVS Syluius, non rerum teſtimonia: ſed res ipſas loquentes. Ex ijs quippè virtutibus, pro cæmentis, erecta eſt ALDOBRANDINORVM domus, quæ non parum noſtræ ætati: multum etiam æternitate quadam gloriæ, conſulunt poſteritati. placuit mihi eius iudicium. Nam id nemo, non ratum debet habere, quod ab eo, qui probatur ab omnibus, iudicatum eſt. Neq; rem, ſine culpa mihi videbar poſſe non ſuſcipere. Nam cùm Laus, merces ſit virtutis, qui ſummas in ALDOBRANDINORVM genere virtutes, non laudat, alienum videtur retinere, non quod laudandum eſt, tacere. vrgebat tamen expoſtulans, quòd Achilles non propter res ab eo geſtas: ſed propter rerum ab eo geſtarum præconium, magna etiamnum floreret gloria: quòd contrà incredibiles ALDOBRANDINORVM virtutes, quibus continenter illuxit imperij gloria, obſcurarit ſuperior ætas quaſi quadam muta, & tacita temporum iniuria. Quid multa? auctoritate commotus ſapientiſſimi, ac integerrimi viri: non ingenij viribus fretus, hoc quicquid eſt oneris ſuſcepi. is enim ille eſt HENRICVS Syluius Carmelitarum Antiſtes, tanta prudentia, pietate, & religione, tamq; ſingulari ſapientia, vt nemo ab eius voluntate, & conſilio poſſit, ſine culpa recedere. At cùm res ab ALDOBRANDINIS geſtæ, maxi-

mæ ſint hiſtoriæ: prudenter verò dicta, & reſponſa Cardinalis P. ALDOBRANDINI, ſummae artis, & ingenij: Hiſtoriam, illius Apophthegmate oblectatus, & doctrina, in aliud tempus reieci. Nihil enim latet, in priſcae virtutis arcanis, quorum ille eſt peritiſſimus, quod non liceat plurima cum eruditionis ſuauitate, & ingenij condimento, in hoc eius laconiſmo reguſtare. Nec mirum id quidem. Nam quanta quiſq; praeſtat ſapientia, tanta eius ex oratione, inſtructio effloreſcit, & doctrina, quando, vt quiſq; virtute ſit præditus, ita loquatur. Cyrus itaq; Xenophonticus, iam morti vicinus liberis ſuis optimam ex ſapientum dictis, ac reſponſis doctrinae ſupellectilem eſſe petendam, quaſi theſaurum, teſtamento reliquit. Non enim magis, aut Leo ex rugitu, aut pecus ex balatu, aut deniq; ex Barritu Elephas cognoſcitur, quàm mens Principis, & natura, ex vocis eius ſonitu percipitur. Quare omnis ferè Antiquitas, Ageſilai: Epaminundae: Pyrrhi, aliorumq; ſummorum Principum Apophthegmata: ideò commendauit memoriae, vt nullo vnquàm tempore, non viderentur eſſe ſuperſtites, quaſiq; adeſſent abſentes, in omni rerum deliberatione audirentur loquentes. Sed quid ego hæc? Quemadmodum Xenophon Socraticus, qui Platonis fuit æmulus, Cyri iunioris Perſarum Regis pædiam cùm ſcriberet, patrem Cambyſem inducit præceptorem, eò, quòd non magis ars medendi ex medico, quàm regendi diſciplina, ex Rege ſit haurienda: ita ego Ampliſſimum virtute, & ſanctimonia Principem lubens delegi Cardinalem ALDOBRAN-

BRAN-

BRANDINVM, qui Apophthegmata de perfecto Principe, quaſi decreta, quæ Græci vocant δογματα funderet plena ingenij, & grauitatis. Haud enim quiſquam ad hanc rem, niſi qui ſit ſapientiſſimus, eſt idoneus. Quandoquidem nemo poteſt, melius, quàm quod eſt inſtructus, alios inſtruere. Hic igitur, cùm multa diuino quodam ſpiritus afflatu intelligat, quae nunquam didicit, ſitq; non Philoſopho aliquo, ſed Deo immortali magiſtro, factus omnium ſapientiſſimus: non poſſunt haec eius Apophthegmata non plena eſſe recundita doctrinæ, & plurimæ vtilitatis. quid inquam vtilitatis? Quemadmodum olim Lyſippus, Doriphorum puerum à Polycleto ſic effictum eſſe dicebat, vt omnes artis virtutes in ſe haberet, atq; Artifices illum, Canona vocabant, lineamentaq; totius artis, ex eo veluti quadam ex lege totius picturae, ſumebant: ita opus hoc de arte imperandi cùm exierit ex dictis P. ALDOBRANDINI, & reſponſis, qui tantum ſapit, quantum vix cuiquàm mortalium fas eſt de cœlo optare: illud fore cenſeo, veluti quoddam exemplar Regiae virtutis, & diſciplinæ. Etenim quae optima ars eſt imperandi, ea maximè fundata eſt in ſacroſancta Aldobrandinorum religione, quam artem Cardinalis P. ALDOBRANDINVS à maioribus ſuis accepit veluti quadam ex hereditate. Ars enim imperandi naſcitur ex religione: nata, ab Æquitate veluti ab obſtetrice excipitur: excepta, ab obſeruantia nutritur: nutrita, pietate corroboratur: corroborata, gratia adoleſcit: adulta vindicta armatur: ac demum veritate ad gubernacula

imperij

imperij inſtruitur. Hæ autem omnes virtutes cùm Aldobrandinorum generi quaſi diuinitus deſponſae ſint, et deſtinatæ, non poteſt ars imperandi, non quaſi nexu, & mancipio illis fieri ſingularis, & propria. Hæc autem ars & doctrina Aldobrandinorum, ſi ab vllo Apelle poſſet ſuo colore figurari, cerneretur in picta tabula, non ſolum ijs virtutum lineamentis expreſſa, quarum olim, & Solon apud Athenienſes, & Lycurgus apud Lacedæmonios, & Numa Pompilius apud Romanos, floruit gloria: ſed etiã ijs ſapientiæ pigmentis colorata, quæ aciem fugit ingenij; nedum oculorum. Quare felix, & perenne ſit oportet Aldobrandinorum imperium. Nam quae ſedes imperij neſcit cadere, eſt religio. olim igitur mundi Imperium cùm affectarent Romani, non ferro ad eius gloriam, ſed religione ſibi iter aparuerunt. Nec inconſultè id quidem. Nam quandiu, apud eos, tanti fuit inanis etiam cultus religionis, vt mulieres Romanæ non vererentur, in deprecandis hoſtium periculis, templorum pauimenta, ſolutis crinibus verrere, ſemper creuit aduerſus hoſtes Romanum imperium: vbi contrà in eo cœpit contra ius, faſq; violari pietas, ſtatim vis, ac robur omne cum religione cecidit imperij. Atq; quoniam vexillum virtutum omnium, quibus ſuſtentatur imperium, eſt religio, iccircò, & Perſæ Regem ſuum, quaſi numen adorabant, et Romani Pompilium Numam à numinibus colendis vocarunt, vt docerent, puto, neq; Regnum ſine Rege: neq; Regem ſine religione poße conſiſtere. id omne certè quidem glorioſius Græci. vt ipſa vox ALDOBRANDINVS. ſatis

videtur

videtur docere. Nam eam, ſi ad viuum velimus reſecare ἀλδαίνω, creſco: βραβεῖον victoria: νοῦς mens, quæ ſedes eſt ſapientiæ, & religionis interpretatur, quaſi nihil ſit ALDOBRANDINVS, niſi contra hoſtes creſcens, ex religione victoria. Glorioſum igitur eſt Aldobrandinorum nomen: Gens verò cœleſtis, & propè diuina, vt quae viuens in terris, ſemper in cœlo, cum Deo immortali viſa ſit habitare. vetus eſt, in HORLANDO Aldobrandino teſtimonium. Nam quadringentis iam antè annis, hic ſibi non ſolum pietatem, ſanctimoniam, ac religionem comparauit, ſed etiam publicos pietatis, ſanctimoniæ, ac religionis fauſtus omnes intra domeſticos parietes aduexit. Nec id, ſine magna nominis ſui, & famæ gloria. Nam ſi laudatur Lycurgus, qui paruarum rerum ſacrificia inſtituit, ne vllus in ſacrificijs peragendis, relinqueretur excuſationi locus: quanta laude, & gloria debet in cœlum efferri HORLANDVS Aldobrandinus, qui vt ſacrificia paſsim fierent, multos religione inſtitui iuſsit, nec minimas opes erogauit? Hic vt facultates eius pauperibus erogatas prætercam: Florentia habet tanquam perenne ſuæ clementiæ monumentum: Seruitarum Cœnobium, quod vulgo Annunciatæ Virginis nuncupatur nomine. Nam cùm in ſqualore, & inopia iacentibus, nunquam dextram, vt aiunt, porrigeret, digitis clauſis: tum Seruitarum Patribus templi, & fundum, & fundamentum donauit, in quo auguſtimum Diuæ Virginis MARIÆ Fanum, quod vrbis Florentiæ decus eſt, & ornamentum, etiamnum cernitur in cœlum erectum. Is

autem

autem nunc iuris, nunc earum rerum opifex fuit, & architectus, quibus fides, quibus religio, quibus ius deniq; humanum, diuinumq; ſuſtentatur. Tot tantaſq; res geſſit, vt non ciuis, ſed hominis nomen videretur virtute, & gloria ſuperare. Hoc ſemen, haec ſtirps eſt ALDOBRANDINÆ Gentis, cuius fructibus imperij vis, religio, atq; Reip. virtus alitur, & confirmatur. docent id priſca ab HORLANDO Aldobrandino rerum geſtarum monimenta. Nec enim patriae ſolum tutor ſolers fuit, & diligens: ſed etiam publicae ſalutis tam acer, & acerbus propugnator, vt in eius fide, & tutela, tota ciuitas angores omnes, et moleſtias ſoleat deponere. Quare ab ea, honoris ergo, pacis, & otij parens: felicitatis auctor & dominus ſæpè eſt vocatus, ſemper autem habitus. Haec virtus in Aldobrandinorum genere, ſemper creuit cùm aetate, & ita creuit, vt quando iuſtitiae ſtatera fuerint eorum merita librata, ſolo potuerint papatu compenſari. Quid altè repetam? confirmauit id à teneris, vt aiunt, vnguiculis HIPPOLYTVS Aldobrandinus, qui vix adultus ita iura tenuit, vt ea non ab alijs accepiſſe, ſed ad alios ipſe de cœlo attuliſſe videretur. Mox igitur à PIO V. Auditor Rotae factus, tanto ingenij, & doctrinae illuxit ſplendore, vt in obſcuriſſima rerum caligine, nullae propè quaeſtiones, & controuerſiae, vllas, contra ancipitem, & dubiam mortalium opinionem, haberent inducias, niſi in HIPPOLYTI Aldobrandini voluntate, & iudicio. virtutis igitur ergo à SIXTO V. Cardinalis Creatus, tanta repente, in eo creuit, cum digni-

tate

tate ſanctimoniae vis, vt nullo in loco pedem imponeret, in quo non plurima relinqueret pietatis, obſeruantiæ, & religionis veſtigia. Teſtis eſt, non modo Italia, ſed etiam vniuerſa Sarmatia. Nam in ea Legatus, vniuerſam ſtatim regionem tanta opinione imbuit ſuae virtutis, et doctrinae, vt nullum imperij conſilium aut oppugnarit, quod non euertit, aut defenderit, quod non ſuſtinuit: nihilq́; et ab Imperatore, & à Rege orarit, quod non exorauit. Quare illi cùm nefarium eſſe putarent, ab eius voluntate recedere, grauiſsimas ſimultates, quibus inter ſe erant abalienati, depoſuerunt. quid? multa ſunt, nec muta ſummæ eius ſapientiae teſtimonia. quid dicerem ſanctimoniæ? in primo ſui pontificatus veſtibulo, & ingreſſu à Claritate mentis, CLEMENS VIII. nominatus, religionis claritatem eam traxit de cœlo, qua procul etiam occæcati illuminantur Hæreticorum animi. Ita quippè continenter exarſit communis ſalutis amore, vt ſtatim in Pontificatum aſcitus ſana, ac delubra omnia ſigillatim perluſtrans, non ſolum in ijs plurima pietatis, & clementiae monimenta reliquerit, ſed etiam quaſi diuinitus, ex ijs religionem, & pietatem ad remotas, et longinquas gentes propagarit. Nec enim res latens eſt, & obſcura, quæ Gens, quae regio, qui populi, per eum recuperati ſunt perditi. Atq; quoniam nihil eſt Epiſcopatus, niſi veluti quidam religionis magiſtratus: nihil Epiſcopus, niſi piè, ſanctèq́; viuendi magiſter, & dominus: futuris Epiſcopis virtutis examen præſcripſit, in quo magnum eſt certamen, ac diſcrimen ingenij, & doctrinæ: anſa verò, non

exigua

exigua publici commodi, & communis vtilitatis. Paſtoris enim induſtriæ par eſt, & æqualis gregis vtilitas. Nec minus CLEMENS VIII. *in Eccleſiæ Romanæ periculis habet animi, quàm in obſcuriſſima rerum caligine, conſilij. Bis igitur firmiſſimum virtute, & viribus conflatum exercitum, Imperatori grauiter periclitanti, in Pannoniam miſit ſubſidio. Quod enim ab hoſte non poteſt iure, & legibus impetrare, id nunquam eſt veritus armatorum militum neruis, & viribus extorquere. Atq; quoniam imperium facile ijs artibus retinetur, quibus initio partum eſt: quid fecit, aut non fecit potius, vt viuendi normam de via deflectentem, intra priſtinos religionis cancellos reuocaret? Res eſt illa admirabilis, reformationis congregatio, qua Religioſorum patrum familiae ſic ad antiquam illam vitae ſanctimoniam excitantur, vt à* CLEMENTE VIII. *partæ videantur, non reſtitutæ. Teſtis eſt opt. ille Carmelitarum Antiſtes qui priſcam familiae conſuetudinem collapſam, non ſolum Deo immortali, omni ſanctimonia reſtituit: ſed etiam tanta pietate honeſtauit, vt illius familiæ virtute, & doctrina iam compleātur quaſi vrbes vniuerſæ. Facit autem ad rem mirum in modum, graue in Summo Pontifice vitæ teſtimonium, qui opere magis, quam lingua: nec adeò verbis, quàm exemplis loquitur, qui pauperes quotidie ſibi aſciſcit commenſales, & ita vt ijs præter cibum, & potum, diligentem ſuam nauet operam. Quo fit, vt eò nihil ſit, aut in ſumma dignitate humilius, aut in humilitate, maiori gloria dignius. Non arte, ſed virtute: non præſcri-*

pto,

pto, ſed vitæ exemplo vrbem non modo abſterſit ab omnibus vitiorum ſordibus, ſed etiam ita inſtruxit; vt nihil iam videatur eſſe Roma, niſi religionis domus, atq; pietatis, & ſanctimoniae ſchola. Hoc autem fauſtiſſimo Iubilei Anno, aduentantibus in vrbem peregrinis, eam pietatis tundit incudem, vt ijs quæ ſunt vſui, prumpta ſint, & expedita. Clericis verò Vltramontanis Xenodochium omni ſanctimonia refertum, eſt expoſitum: in quo non ſolum quæ ad victum pertinent, præſtò ſunt omnia: ſed etiam ſummus ipsè Pontifex, qui vim, & numen obtinet Dei Immortalis, ijs ſæpe miniſtrat, atq; eorum pedes non minus humiliter, quàm diligenter ſacroſanctis lauat manibus. eo quippè charitatis flagrat ardore, vt non ſolum continenter, ad charitatem proſeminandam excubet animo: ſed etiam in eo, nulla quaſi relangueſcat defatigatione, finiſq; vnius operae, principium ſit futuræ. Nec tot, tantis, tam grauibus vnquam negotijs diſtrahitur, quin, vbi reſpirare poteſt, eò contendat ingenij, et induſtriae vires, vt aut in D. Petri templo confeſſarij fungatur munere, omnes ad ſe ſine vllo admittens diſcrimine: aut anſam rapiat de nobilibus præſertim benemerendi, qui clam, præ pudore, iacent in aliqua calamitate. Nec vllus vnquam dies abit, quo, niſi infirma prohibeatur valetudine, res ſacra, pro publica omnium ſalute, ab eo non celebretur. Sed quid ego trita, & vulgata hæc? eam ſemper vitam egit, vt viuens nihil unquam uiſus ſit appetere, quod morienti non ſit appetendum. illa plena ſunt pietatis, & ſanctimoniae: hæc plurima etiam utilitate,

&

& iucunditate reſerta, quòd maximè nefarios hoſtes religionis repreſſerit: quòd omnes Eccleſiae regiones plurimis latrocinijs obnoxias, ab omni latronum incurſione liberarit: quòd vrbem oppreſſam, multo leuauit vectigalium onere: quòd Eccleſiam Romanam eorum Cardinalium corroborauit præſidio, quorum ſapientia ſpes omnis publicæ ſalutis eſt depaſcenda: quòd Rutenos Græcos Eccleſiae Romanae, & ſummo ſubiecit Pontifici: quòd deniq; ſupplicem HENRICVM IIII. Galliae Regem tam piè in ſacroſanctae Eccleſiae gremium receperit, eiq; ad regiam Maieſtatem, qui clauſi erant, ipſos aperuerit aditus: atq; duos ſimul Reges potentiſſimos, qui à ſe abalienati erant, mutuo inter ſe amoris fœdere, & arctiſſimo pietatis obſtrinxerit vinculo. qua ex re non ſolum plaudit, & Gallia, & Hiſpania: ſed etiam vniuerſa Europa. Quare omnes eius amant induſtriam: nemo non admiratur iuſtitiam. Quod ſi igitur reuiuiſcat iam HORLANDVS ille Aldobrandinus, videatq; domum, quam reliquit, veluti quoddam mundi eſſe theatrum, in quo non ſolum omnes congeſtae teneantur imperij virtutes, ſed etiam procul pellantur omnia vitia, non hoc modo loquatur? Ego vitam uixi non unius hominis, ſed omnium hominum, quos uniuerſos ſuſcepta ex me ſoboles prudentia, uirtute, ſapientia, atq; rerum geſtarum exæquauit gloria. præclara eſt, fateor, viri ſapientis vita, quae in contemplatione eſt poſita: armati autem militis minimè contemnenda: HORLANDI verò Aldobrandini multò fuit præſtãtiſſima, quae vtran-

que

que plurima rerum ſimul humanarum, & diuinarum auxit gloria. Feraciſsimus eſt, in hac Ampliſsima ALDOBRANDINORVM *familia, virtutum omnium campus: ex qua quid Marti cum Muſis: quid Togae, cum ſago: quid calamo, cum ferro: quid deniq; paginis commune ſit cum armis, nullo propè negotio fas eſt intelligere: in quibus omnibus, quid affectandum ſit docet religio: quod iter ad felicitatem imperij ſit inſiſtendum, pracipit ius, & ratio. Quare in Imperio nullum vallum, aduerſus iniuriarum procellas, & tempeſtates, eſt firmius iure, & aequitate, cuius in finibus nihil poteſt quis timere mali; quia ex ijs omnis exulat iniuria. Teſtis eſt grauiſsimus, vt ab aliorum infinitate recedam,* SILVESTER ALDOBRANDINVS CLEMENTIS VIII. *pater, qui Principes optimos quoſq; beneuolentiae fœdere, tanquam Herculeo nodo, ità ſibi obſtrinxit, vt nulla in re, conſueuerint facilius, quàm in eius opinione, & voluntate acquieſcere. Nihil enim in omni diſsidio prater ius: nihil in iure ardentius, quàm publicae ſocietatis incolumitatem anhelabat. quid dicerem concordiam, & amorem? vt Medicus non eſt amicus aegroti, qui eius aegritudinem non habeat in odio: ita is patriam minimè amat, qui patriæ non odit incommoda. itaq; haud quicquàm potius habebat, quàm vt eius aut inopiae pecunia, aut imbecillitati auxilio, aut imprudentiae conſilio occurreret: quod cùm fecit, nihil, niſi quod regium ſapit Diadema fecit. Quare nunquàm de* SILVESTRI ALDOBRANDINI *fide, pietate,*

& ſapientia cogito, quin mihi veniat in mentem Agaſiclis Regis Lacedaemoniorum: qui non alijs praeeſſe, ſed prodeſſe ſtudebat: quiq; ſui praeſidia, non in populi armatura: ſed in beneuolentia collocabat. Nam in firmamentis Imperij, nullum neq; valentius beneficio viget Diadema, neq; geſtatur amore glorioſius. Atqui SILVESTER Aldobrandinus tanto erga Patriam ſemper exarſit amoris incendio, vt pro patriæ ſalute, nunquàm veritus ſit ſuum iugulum oſtentare. Itaq; cùm poſſe plus non videatur princeps, quàm quod iubet virtus, & doctrina, nulla eſt principis potentia, quae non videatur SILVESTRO Aldobrandino ſemper fuiſſe ſingularis, & propria. Quocirca ille cùm apud omnes exterarum gentium Principes, tum in Italia, apud & Vrbini, & Feriae Duces, tanti eſt habitus, vt illi in conſilij ſui deliberatione SILVESTRVM non ſolum vellent intereſſe, ſed etiam præeſſe: nec eum comitem habere, ſed Ducem geſtirent, in rebus arduis ſequi. Norat enim hic plebis temeritatem frenare prudentia: rabularum lites & iurgia iure ſedare: perditorum libidinem arcere continentiae exemplo: furorem iratorum fortitudine reſtinguere: ac demum impiorum facinora aequitate ſuperare, & iuſtitia. Quare à PAVLO IIII. Aduocatus, & conſiſtorialis, & Fiſcalis creatus, eum ſe praeſtitit in tractandis imperij habenis, vt non tam videretur regere, quàm quomodo eſſet regendum alijs oſtendere. Hic enim quaſi de cœlo facem Promethei cùm haberet accenſam, homines ex caeno vitiorum concretos, ſapientiae flammà, omnes ad virtu-

tem

tem informabat: Nec ferro, ut olim Romulus, Romanis: ſed ſanctimonia, & religione poſteris, ad imperium iter aperuit. Etenim nihil erat SILVESTRI I. C. ſapientia, niſi ars imperandi, & ſcientia. Hac quippe inſtructus norat ex aliorum & erroribus, quod rectum eſt ſequi, & periculis, quod tutum eſt amplecti, ac deniq; erudiri ad gloriam ex aliorum infamia. Ius autem omne ſumma definiuit religione: religionem tot artium dotibus locupletauit: tanta virtutum omnium dignitate honeſtauit, atq; ea facultate dicendi illuminauit, vt in religione non ſolum iuris, & iuſtitiæ, ſed etiam ſanctimoniae videretur magiſter, & dominus. Quare in floretiſsimis Italiae Gymnaſijs iuris interpres, non tam lingua, quàm manibus ius docebat. Nam cùm firmius inculcatur morum diſciplina, exemplis: quàm verbis, ita viuebat; vt illius vita multorum eſſet inſtructio, & diſciplina. Quanquam glorioſius ducebat hominum oculos, quàm aures erudire, tamen non ſolum voce, ſed etiam ſtylo, veluti quodam ſole, quæ in iure, & legibus occulta ſunt, & retruſa, illuminauit. Nec ad fidem opus eſt verbis. Nam cùm eſſet ſplendor ſui ordinis, eximium patriæ decus, atq; exemplar veræ, germanæq; iuſtitiæ, non modo, non potuit virtus eius occuli: ſed etiam eo illuxit ſplendore, vt SILVESTER ALDOBRANDINVS non ſolum Italorum, verum etiam gentium omnium clariſsimum lumen haberetur. Magna, fateor, fuit viri, ex virtute felicitas: ſumma ex liberis quatuor ab eo in lucem ſuſceptis, THOMA: JOANNE,

HIPPOLYTO, & PETRO, qui omnes optimæ reip. ſummi fuerunt Architecti, & opifices. Ea quippe illorum omnium erat æquitas, qua populorum pax nutritur, et concordia: ea ſapientia, qua ceſſant maleuolorum quærelae, odia, inimicitiae, bella, ſeditiones: ea demumq; induſtria, qua tantum in tractando imperij clauo valebant, vt illi præter cæteros viderentur totius orbis, & bona conſeruare, & mala euertere poſſe. In eo enim quem colebant iuſtitiæ campo, neq; violentiae, neq; fraudi, nec audaciae, nec temeritati, nec deniq; iniuriae vllus eſt in quo conſiſtat locus. Quare in ALDOBRANDINIS Ars ea imperandi potiſſimum laudatur, quae imperantem ſic afficit, vt non malit alijs imperare, quàm rationi obedire. Iuſtitia quippe Magiſtra, volebant Principis officium, non priuata, ſed publica vtilitate eſſe definitum: officij eius eſſe, legibus parere: ius, & libertatem populi ſeruare: Senatus auctoritatem defendere, reuereri, & obſeruare. Imperium enim propter virorum bonorum præſidium, contra ſceleratos, & improbos homines, eſt inſtitutum: huicq; ſumma poteſtas conceſſa, vt vindex iniuriarum, cuſtos libertatis, & iudex vitiorum exiſteret. Quorſum hæc? nihil eſt in iure, & legibus: nihil in præceptis de officio, & virtute Principis, quibus non ſolum inſtituitur, ſed etiam ſeruatur, atq; omni gloria augetur imperium, quod non habemus in Præclariſſima ALDOBRANDINORVM familia, exemplorum teſtimonijs corroboratum: nedum promptum, & expeditum.

Nec

Nec enim CLEMENS VIII. quenquam, præter ſapientem, ad tractandas imperij habenas admittit. Nam Imperanti duplici virtute cùm opus ſit, vna externa, politica nimirum, quam qui habet non ſe, ſed alios magis bonos viros facit: altera inſita quam qui poßidet, vir bonus dicitur, nouitq; ſpem, timorem, cupiditatem, ac iram deniq; in rationis finibus arcere. vtranq; enim Summus Pontifex à puero ita traxit de cælo, vt non tam Imperij adminiſtratores, quàm cum ijs, virtutem adminiſtrandi videatur humanæ ſocietati ſuggerere. in quo vix ſatis dici poteſt, quanta ipſe Pontifex dignus ſit gloria. Nam vbi deeſt politica virtus: ibi in Imperio, ex beatis infauſta, & miſera fiunt omnia. Etenim quorſum, quòd Romani toties Triumphi Pompeius auctor, & opifex, ſola inuidiæ cauſa, ad opprimendum C. Cæſarem impulſus, auctor ſui interitus fuit, et magiſter publicæ calamitatis? Ea eſt politicæ virtutis ratio, ut nulli ne minima quidem ſcintilla odij ſit inter Principes admittenda, niſi qui uelit grande incendium accendere. Atq; ne de THOMA Aldobrandino taceam, quid uel à natura, uel ab arte deſiderari poteſt, quod non cultum, ornatumq; extitit eius ingenium? tam ſubtilis fuit Philoſophus, & orator vehemens, ut magis artes ingenio: quàm ingenium artibus honeſtare uideretur. Huius ſingularem doctrinam cùm omnes ſuſpicerent pari eloquentia coniunctam: tum PIVS V. propter admirabilem uim eius ingenij, mirifice oblectatus eſt eius conſuetudine. Quare illum, penes ſe, ut haberet, conſtituit à ſecretis orationis latinæ.

 qua

qua ex re ſummo Pontifici ad voluptatem, non exigua etiam acceßit dignitas. Nam quid eſt tam horridum, et incultum, quod eius non ſpendeſceret oratione? quid tam incredibile, quod dicendo non redderet probabile? Haec, & multo maiora loquuntur, quae ab eo profectae ſunt Diogenis Laertij traductiones. Si maximum vrbis decus, eſt virtus; quanti ab vrbe is debebat fieri Philoſophus, qui ſummus erat architectus virtutis? Non, ſi maiores ſunt ingenij, & doctrinae: quàm corporis, & fortunae vires, pluris fuit in vrbe THOMAS Aldobrandinus omni Regia Gaza, qui in philoſophia Iſocratis retinebat eloquentiam, & in eloquentia Ariſtotelis Philoſophiam, cuius diſciplina inuentrix eſt legum: morum magiſtra: ingenij lumen: cos deniq; veritatis? Nec is adeò virtutes omnes laudabat, quàm vnam in cœlum attollebat obſeruantiam. Quid enim aut in ſcholis proſit veritatis diſciplina, niſi veritati obtemperent artes omnes, et ſcientiae, aut in moribus valeat iuris imperium, niſi populi adſit obſequium? non una eſt, ſed omnis uirtus obſeruantia, qua detracta, & lex, & ratio omnis relangueſcat oportet. quid? Nemo eſt in tam eminenti dignitatis gradu conſtitutus, qui rectè antè poßit imperare alijs, quàm caeperit Deo Opt. Maximo, atq; ſummae rationi parere. nec exitus poteſt, non miſer eſſe imperij: niſi ex animo obediat Principi populus. Quare nihil eſt obedientia ciuium, niſi vrbis felicitas, & Principis gloria. Nam quorſum duplex ius, diuinum vnum, alterum poſitiuum? Vt huic populus, alteri Princeps cùm ſubijciatur, intelligamus

mus

mus virtutes omnes, in obedientiae prædio naſci, & poſſeſsione. Hac vna virtute THOMAS Aldobrandinus ſic oblectabatur, vt mallet rationi parere, quam viris imperare. qua in re, non tam fuit Filoſophus: quàm philoſophorum omnium lumen, atq; ſapientiæ decus: nec adeò virtutibus omnibus fuit instructus: quàm ipſe virtutum omnium miniſter ſimul, & magiſter. Quare tanta apud PIVM V. fuit auctoritatis, vt vix quicquam ſummus Pontifex ratum haberet, niſi quod antè THOMAS Aldobrandinus probaſſet. Sed quid ego hæc de ſumma doctrina THOMÆ Aldobrandini? Quemadmodum ab vno Hippocrate vniuerſa medicinae adiumenta, ſic ab eo ALDOBRANDINO omnia politicae virtutis, ad benè beateq; regendum, præcepta fas erat optimo cuiq; Principi haurire. Quas igitur Cardinalis P. ALDOBRANDINVS, THOMAM Patruum imitatus cœleſti ſpiritus afflatu, continenter arcendo populum in rationis gyro, fudit animi ſui ſententias, eas volui, non minori fide, & integritate, quàm ſtudio, & ſolertia longè latèq; perquirere, atq; tanquã veros rectè, & feliciter imperandi aphoriſmos in vnum locum congerere. Nec ſolum probauit hoc meum conſilium IO. BAPTISTA Coſta primarius iuris Canonici in Ticinenſi Gymnaſio, interpres: ſed etiam veluti quodam ſtudij ardore inflammauit. Nemo enim poteſt non prudenter agere qui prudentiſsimi viri ſtat iudicio. ita autem ille iuriſprudentiæ ſeruat momenta omnia, vt totus videatur ex iure pendere, & iuſtitia. ab eo enim lex non modo publicè do-

 cendo,

cendo, aut funditur aperta, aut latens explicatur diuidendo: aut incognita demonſtratur definiendo: aut incerta probatur argumentando: aut anceps & dubia illuſtratur interpretando: ſed etiam ita colitur, & obſeruatur, vt ille nunquam videatur ſine iure publicae vtilitatis, & communis commodi reſpirare. Nam quid de Aldobrandinorum iuſtitia dicerem? quemadmodum non vir ab vxore, ſed vxor à viro nobilitatem capit: ita apud Aldobrandinos, non iuſtitia ex officij dignitate: ſed officij dignitas ex iuſtitia, monimenta ſumit laudis, & gloria. Hac autem in CLEMENTE VIII. *tanta eſt, vt iuſtitiam, neq; virtutum omnium optimam; ſicuti Plato: neq; admirabilem, vt Ariſtoteles: nec præſtantiſſimam veluti Cicero: nec fundamentum perpetuae commendationis, & famae quemadmodum cæteri, modo geſtiam nominare: ſed vna cum Demoſthene velim, aut cogar potius eam Reip. felicitatem, atque mundi animam appellare. Nam quid eſt ſummi eius Pontificis iuſtitia, niſi rerum humanarum, & diuinarum vinculum: niſi Terrae, et Cœli veluti quædam amicitia? niſi interioris, & exterioris hominis Tranquillitas? niſi quaſi pabulum religionis: niſi decus communis vitae, & publicae ſalutis firmamentum? Nihil maiorem in modum Antiquitas anhelauit, quàm Principem diuina ferri, duciq; virtute. Nam cur Achillem à Thetide: Memnonem ab Aurora: Theſeum à Neptuno: Romulum à Marte genitum eſſe volebat? res fictæ, & commentitiae, in fabulis magnam anſam mortalibus porrigunt veritatis. Non eſt Principis virtus ex*

ſcholis

ſcholis accerſita, ſed de cælo profecta: non vigilijs, & laboribus comparata, ſed veluti quadam ex hæreditate nata. Teſtis eſt in Præclariſſimo Heroum genere. IOANNES Aldobrandinus ſummi Pontificis Frater: ſapientiae exemplar, & Hetruriæ decus. Nam ille primùm Auditor Rotae, iura omnia veluti quadam diuinitate recreauit debilitata: deinde Cardinalis, ita vitae ſanctimonia Eccleſiae Romanae dignitatem honeſtauit, vt non ſolum ſplendor fuerit ſui ordinis: ſed etiam, teſte PIO V. à quo in Collegium Purpuratorum patrum cooptatus fuerat, animi caſta, verecunda, & incorrupta integritate, ſapientiae nomen viſus ſit ſuperare. Quare conſueuit CLEMENS VIII. dicere Pontificatum ex eius morte orbum ad ſe perueniſſe: in Pontificatu, ideò tibi locum eſſe datum, quia non eſſet ſuperſtes IOANNES Card. Aldobrandinus. At qui longius Superſtes is, qui tantam imperij molem ſuſtinebat, eſſe potuiſſet? neſcit pietas, quod graue, & acerbum eſt, ſi honeſtum ſit modo, timere: mori pro patria, pro religione, pro imperij libertate glorioſum eſſe ducit, & ſuaue. Hæc eſt, vt ſuo docuit IOANNES Cardinalis inſtituto, virtus Aldobrandinorum: Hæc eius Antiquiſſimae familiae induſtria: hæc laus: & gloria, quae in pietate, nihil videtur Antiquitati concedere. Nam laudatur apud Romanos, Metellus Pontifex, qui Veſtali Æde fortuto flagrante, per medias flammas, Palladium, ex incendio ſubſtraxit, & iure quidem laudatur, quippe qui malebat pietatem ſine vita, quàm vitam ſine pietate. Laudatur, tot antè ſeculis Æneæ pietas,

quod

quod Capto Ilio, Achiui miſerati captiuorum ærumnas, cùm per praeconem denunciarent, vt ſinguli ex liberis ciuibus, quod uellent, unum aliquod ſecum auferrent, ille cæteris neglectis, Deos Penates exportarit: At fuit adumbrata illa, & adulterina utriuſq; pietas: vera autem germanaq; pietatis laus eſt, in ALDOBRANDINORVM ſtirpe, et ſemine: & ita vera, vt ſi hoc genus, erga Deum immortalem tollatur pietatis, ſtatim & fides, & iuſtitia, & ſocietas humani generis intereat neceſſe ſit. Non longè abeo, IOANNES ille Aldobrandinus ſummus I. C. ſummus Rotæ Auditor, ſummus Cardinalis natura fuit adeò Clemens & pietate inſignis, vt ſemper, & in egeſtate abundaret, & in opulentia egeret. Nam, quod dictu eſt admirabile, in ſumma opum, erga pauperes erogatione, diues: in procacitate perditorum hominum, glorioſus: in periculis, quæ nunquam pro patria, recuſauit, vltro etiam ſæpè eſt aggreſſus, incolumis ſemper remanſit. Quemadmodum enim Myro piſci ſi oculus eruatur, frontiq; hominis, aiunt, appendatur ex ophtalmia laborantis, ſolet piſci oculus renaſci: homini verò ophtalmia ſanari: ita nihil ex pietate optimi Antiſtitis vnquam potuit detrahi, quod non viſum eſt, ad eum cum admiratione reuerti. Hæc quippè eius erat Pietas, quae fidem conſtantia: officij dignitatem iuſtitia: pietatis nomen admirabili ſuperaret ſanctimonia, quae eò magnitudinis proceſſit, vt ei ad glariam nihil amplius addi poſſet. Quanquam tamen pietas non eſt eius Cardinalis: ſed virtus Aldobrandini generis. Nec in rebus apertis

vti

vti volo exemplis non neceſſarijs. Nam cum ea omnis familia, ex ſua pietate Religioni plurimum attulerit ornamenti: tum CLEMENS VIII. tam pium, erga Deū immortalem, ſe præbet, vt CLEMENTIS VIII. nomine recreari videātur ipſi in Fanis, & delubris parietes. Etenim cùm multa ſacrae Æ les per eum ſunt reſtitutae: tum Fanum ipſum D. IOANNIS Lateranenſis: tanto ſumptu, tam artificioſè eſt reſtitutum, vt à CLEMENTE VIII. non renouatum: ſed erectum eſſe videatur. Quid? in Rebus bello ardentibus, nulla vnquàm tam plena horroris fuerunt pericula, quae non conſueuit pro religione, & pietate, contemnere: in otio autem, & pace, tanta ſemper fuit erga populum liberalitate, vt cùm continenter in caritate annonae, recreatus fuerit ſumma eius beneficentia: tum vrbem ipſam multis liberarit oneribus, quae à XISTO V. & alijs ſummis Pontificibus vrbi erant impoſita. Hac autem ſapientiae ſemita, vt ij omnes, ad Pietatem contenderent, in quibus cardo vertitur imperij, nullos vnquam antè creauit Cardinales, quàm norit eos eſſe, qui in Puppi ſedentes poſſint gubernacula tarctare communis ſalutis, & vitæ: ad quos omnes excitandos non minori munificentia, quàm prudentia ad deligendos, ſemper fuit propenſus. Quantum enim in eo ad res grandes ſit animi, teſtis eſt purpuratorum patrum conſeſſus: Teſtis eſt Regina MARGARITA. Teſtis Archidux Auſtrius: quorum altera Ferrariae incredibilem Apparatum: alter in apparatu, ſapientiam magnanimitatis Regiæ plenam non ſuſpiciebat ſine admiratione.

tione. Decorabat omnia gloriae monimenta, in Matrimonij nexu conſtringendo, ſingularis erga PHILIPPVM III. & MARGARITAM Reginam Summi Pontificis benignitas, plena magnificentiæ ſimul, & diuinitatis. Nec enim cuiquam in apparatus elegantia, & copia rem vllam commendauit, niſi ei, qui eſſet Religioſus, doctrinae ſingularis: ingenij admirabilis: modeſtus: grauis, & temperans: conſilio prudens: iudicio conſtans: fortis deniq; in periculis, atq; in omnes facilis, & benignus. Qui autem Antiſtites potiſsimum Reginæ aduentum honeſtabant, eorum à Summo Pontifice is habitus eſt delectus, vt nullus inter eos conſpiceretur, qui aut Soloni in ſapientia, aut Iſocrati in ſuauitate dicendi, videretur concedere. Fit igitur, quoniam, aut proprijs, aut ſapientum tantum, in tractando imperij clauo, vtitur adminiculis, vt res uniuerſa obſecundare uideantur cœleſti illius, ac diuinae uoluntati. Quare ſi liberorum uirtus, patris eſt felicitas, non poteſt SILVESTER Aldobrandinus ex tam cœleſti, & diuina liberorum virtute, & gloria, non eſſe etiamnum inter mortales ter felix, & beatus, qui orbi vniuerſo terrarum, tantum peperit felicitatis. Etenim cùm nihil ab eo non æquum: nihil non ſalutare: non vtile: non plenum deniq; felicitatis manaret, factum eſt, vt eum omnes quaſi quoddam terreſtre, oraculum humanae ſapientiae intuerentur, atq; veluti diuinum hominem è cœlo, ad ſedandas Principum diſcordias, et ad propagandam imperij incolumitatem, miſſum contemplarentur. Hic quippè nihil vnquam ardentius

curauit,

curauit, quàm vt hominum generi, & animi bona inſereret, & extirparet contraria. conſtat enim homo ex animo, & corpore, quorum alter, altero longè eſt praeſtantior. Quare legumlatores abſurdum eſſe putabant externa bona, quae corpori tribuuntur, curare: animi verò bona negligere, quorum gratia potiſſimum cenſebant homines viuere. itaq; nemo vnquam Philoſophus de Rep. ſcripſit: nemo aliquando ſapiens Remp. formauit: nemo vſquam gentium Magiſtratus ciuitatem rexit, qui non ciues ſuos bonos efficere conatus ſit. Hùc Charondae: Zaleuci: Minois: Lycurgi: Solonis, ac Priſcorum omnes leges pertinent: Nec horum temporum extat vllus legiſlator, qui non ſupplicia improbis, & præmia bonis viris ſtatuerit: quiq; non quaſi peſtem ciuilem perhorreſcat fœdifragos: periuros: ambitioſos: mendaces: libidinoſos, ac omnes deniq; nefario paſtos ſcelere. Hæc omnia cùm præclarius ex Aldobrandinorum rebus geſtis poſſint ſpectari, quàm ex veterum libris de Rep. legi, exiſtimaui plurimum me humanæ ſocietati profuturum, ſi minus facta poſſem: at dicta eorum ſapienter, & reſponſa commendarem poſteritati. quid inquio me profuturum? non eſt boni viri ſpem, ſed officium ſequi. illa quippè eſt ALDOBRANDINORVM virtus, quae depaſcenda eſt omni mortalium gloria. Nec enim vnquam poſt homines natos, cuncti populi, vniuerſæ gentes, atq; nationes omnes quicquam habuerunt antiquius, quàm vt ijs, qui aut fines auxiſſent imperij, aut imperium ex hoſtium clade, & periculi faucibus eripuiſſent, ſummi honores decer-

nerentur.

nerentur. Neq; enim alia de cauſa, Creta Iouem: Athenæ Theſeum: Oſyrim Ægyptus in cœlum laudibus ſuſtulit; niſi quia, ſuperatis hoſtibus, in iure, & legibus firmamenta fixerunt imperij. Ex quo quantum omnis hæc noſtra ætas debeat Aldobrandinorum generi, non difficile eſt odorari. Nam PETRVS ALDOBRANDINVS, CLEMENTIS VIII. frater, ita publicæ continenter excubabat vtilitati, vt in iure dicendo, cuius magiſter erat, & dominus, vix vnquam hominum, ſemper Dei duceretur conſilio: nec adeò virtutibus humanis ſua firmaret iudicia, quàm ipſas humanas virtutes, veluti quadam iudicij diuinitate. Hic autem in toga ſic erat animatus, vt quæ religioni, & pietati vulnera iniuriæ, per vim eßent illata, ſumma vi, et impetu moliretur repellere: atq; afflictæ Eccleſiæ ita ſuccurrere, vt ibi, vbi non eſſet conſilio locus, non metueret, quod ius, quod ratio non impetrarat, ferro extorquere. Hic inter omnes fratres, poſt CLEMENTEM VIII. maximè profuit humanæ ſocietati: Non quoniam veræ germanæq; exemplar fuit ſapientiae: ſed quia Card. PETRVM ALDOBRANDINVM ſuſcepit filium. Huius enim ſapientißimi Antiſtitis Eccleſia armata cùm ſi virtute, poteſt nunc demum ex rerum aſperitatibus caput attollere. Nam is ille eſt, cui & animus creſcit cum rerum difficultate, & conſilij lumen, cum earum obſcuritate, quiq; tantum iudicio valet, vt nihil lateat in artis, et doctrina nomine, quod non uideatur uſu, & experientia tenere. Huc accedit quòd nihil eſt Cardinalis PETRI

ALDOBRANDINI fortitudo, niſi quaſi quidam virtutum omnium circuitus. Grandia quippè quae ſunt, & ſublimia iuſtè appetit: appetita fidenter ſuſcipit: ſuſcepta fortiter tolerat: tolerata deniq; ſtrenuè ad exitum perducit. Quae autem duae res, in armis, plurimum valent, robur, & conſilium: illa amba in eo non minus vigent, quàm fas eſt in inuictiſſimo Principe deſiderare. Itaq; conſueuit, vt olim Anthiſtenes, omnia bona Hoſtibus, præter fortitudinem à Deo precari: quòd ea non ſint poſſidentium, ſed eorum, qui poſſidentes virtute ſuperant. In Bello igitur Hoſtes: in otio voluptates rationi inimicas ſic contemnit, vt turpius putet voluptati, quàm hoſti ſuccumbere. Virtutis bellicæ, in Ferrarienſi expeditione graue reliquit monimentum, quod quia neq; huius eſt otij, neq; inſtituti, facilè prætereo: hoc autem tacere nequeo. quod ea floret dicendi facultate, qua poſſit milites animare metuentes: fugientes retinere: omnes hortari publicè: priuatim ſaluti omnium conſulere: arma expedire: milites conſcribere: phalanges, ac turmas ad ſigna vocare: tormenta diſponere: hoſtem ferocia exultantem arcere, ac deniq; boni ducis, & Imperatoris fungi munere. Sed quid ego hæc ex tanto Heroum numero in ALDOBRANDINORVM Domo? eſt hæc eorum domus non ſedes, ſed officina virtutis, & gloriae. Nec, vt Græcia vnum tantum: ſed plurimos habuit Solones. quid enim dicerem HERCVLES? ea virtus eſt IO. FRANCISCI Aldobrandini, cuius ſplendorem hoſtes Eccleſiæ non poſſunt ſuſtinere: nedum vim, & impetum retundere

Digitized by Google

tundere ſemper hic ea arte, intelligentia, induſtria, & doctrina præcelluit: qua portenta ſcelerum: libidinum gurgites: flagitiorum ſentinæ, atq; lerna malorum omnium facile ex mortalium finibus, poteſt eijci, & exterminari. Atq; ita continenter in præclariſſimorum Heroum ordine vixit, vt vel ſtupidiſſimum quemq; ſua laude commoueret, exemplo doceret, atq; quod iter, quæ via virtutis ad Imperij gloriam ſit affectanda, apertè palamq́; demonſtraret. Atq; cùm verſetur Res bellica partim in viris, partim in armorum genere, partim in bellandi diſciplina: hæc omnia bellè in vno IO. FRANCISCO Aldobrandino ſtrenuiſſimo Armatorum exercituum, in Pannonia Duce, nuper ſummo gloriæ ſplendore illuxerunt. Nam cùm virorum, in bello, hæc eſt conditio, vt alij Imperent, alij imperata faciant, eum ſe Imperatorem præſtitit, vt difficile ſit dicere, vtrum fortior in agendo, an prudentior in deliberando fuerit. Nec enim minus vnquam habuit in periculis, animi, quàm in rebus obſcuris, & dubijs conſilij. Quos autem habebat milites ſuæ diſciplinæ alumnos, & rei bellicæ miniſtros, ita inſtruxerat, vt aduerſus Turcarum vim, & impetum, animo eſſent grandi, & elato: in machinandis inſidijs, vafri, & veteratores: in conflictu, ira et audacia ita præcipites, vt ſigno dato ſalutis, & vitæ prodigi magis viderentur, quàm liberales. Armorum autem varia, et multiplex eſt ratio: quorum omnium, in IOANNE FRANCISCO Aldobrandino tanta eſt peritia, & quicquid legiones, cohortes, Turmae: Phalanges: Haſtati: Anteſignani:

gnani: Rorarij: ac deniq; Triarij milites armis praeſtarent, idomne nunc Pedes, nunc eques ſic exerceret, vt ad omnia armorum genera, non factus, ſed natus eſſe videretur. Virtus demum Militaris, quae ars eſt imperij, & regia diſciplina, ei ita eſt familiaris, & cognata, vt nihil fuerit, aut in Cyri Regis exercitu tam elaboratum, aut in Aſtu Annibalis tam recunditum, quod apud eum Imperatorem non continenter frequens fuerit, & vſitatum. Belli enim tempore, nihil committebat fortunae temeritati, ſed omnia virtuti. Norat enim Geometriae præſidio, quibus in locis, lignari: aquari: pabulari poſſent milites: qui receſſus quae flexiones, quae diuerticula ab hoſtibus eſſent cauenda: quidue de commeatu eſſet aut ſperandum, aut timendum. Atq; artem militarem tanta prudentia, tolerantia, iuſtitia, fortitudine, & ſolertia commendauit, vt ingens ſaepe Turcarum exercitus parua manu ab eo reſtinctus ſit, & deletus. Quem enim non poterat armis, & viribus, norat ſtratagemate ſuperare: atq; ſi res ferebat, malebat ex hoſte, conſilio, incruentam: quàm aliena clade emptam, victoriam reportare. Verum inter ſummas eius aduerſus Scytharum vim, & impetum, victorias, ea in primis laudatur, qua Strigoniam non ſine plurimo diſcrimine, recuperauit perditam. Confligebat enim non cum Auaritia timidorum: ſed cum face, & furia armatorum, qui non opes, ſed ſanguinem videbantur ſitire. At quoniam boni Imperatoris ducebat eſſe, milites maiori amore, quàm hoſtes odio proſequi: malleq; mori in acie, quàm hoſti terga dare:

eas in periculis norat vias, ex quibus miles, hoſte profligato, incolumis euaderet. Scythae enim ferociter magis quàm prudenter Pannoniam inuadentes cùm omnia non ſolum ſuo polluerent ſcelere, ſed etiam barbara, & immani crudelitate omnes ad defectionem ab Imperatore, & obſequio Romanae Eccleſiae compellerent, ingenti celeritate ſemel atq; iterum IO. FRANCISCVS Aldobrandinus cum exercitu ex Italia Pannoniae labenti praſto fuit: eiusq́; opera, et ſtudio vrbes omnes, in ea regione, quae partim peſte, partim fame, partim cladibus erant exinanitae, priſcae virtuti ſunt reſtitutae. Nec minus, quàm in bello, fortitudo: eius laudatur, in pace ſumma iuſtitia, cuius duae ſunt, quibus reguntur vniuerſa habenae: ſeueritas in puniendo, & præmium in remunerando. Nam illius præſidio viae clauduntur ad peccandum: Huius ſpe contra iter aperitur, ad benè beatèq́; agendum. Vrbes enim molitur decorare non magnificis ædificijs, ſed ciuium virtutibus: non opulentia, ſed ingenio augere, & doctrina. in bello igitur Hoſtes vincit: in pace ciues non tolerat improbos. Nam qui Princeps tolerare improbos non grauatur, improbitatis fit ſocius, legesq́; omnes, ſine ciuium bonis moribus, etiam ſanctiſsimae, redduntur inutiles. Quare in eo tota eſt ALDOBRANDINORVM Domus, vt legum inuiolata ſit auctoritas: Magiſtratuum in munere obeundo, prudentia, diligentia, & alacritas: populi ſolers obſequium: & Principis erga populum, acre & intentum ſtudium. Nihil eſt itaq; in arte imperandi, quod in rebus, ab ea præclariſsima

riſsima

riſsima familia geſtis, non videatur, incluſum contineri. Nam ſi ad arma animum intendimus, facile ex ea intelligimus, bellum ſine religione, ſine iure, non ſolum belli nomen amittere: ſed etiam ſacrilegij turpitudinem, & latrocinij dedecus induere. Quare Hoſtes omnes Romanae Eccleſiae, non adeò videntur bellum conſlare, quàm belli iura, atroci, & nefaria iniuria lacerare. Non enim virtus bellica in furore, ſed in prudentia conſiſtit: non in crudelitate, ſed in pietate: non in ſcelere, ſed in æquitate: non deniq; in iuſtitiae offenſione, ſed defenſione verſatur. Siquidem alia eſt rapina, alia Militia: aliud bellum, aliud latrocinium: alius Imperator, alius Tyrannus: alius deniq; miles, alius Latro. Ille enim virtute honeſta: hic ſcelere molitur turpia: ille iure, hic iniuria ducitur: ille iuſtitiam, hic anhelat pecuniam. Eſt igitur, & Belli, & pacis magiſtra, atq; domina ALDOBRANDINORVM domus, quæ ius & ſcriptum, & non ſcriptum tuetur ſumma religione auctum, & cumulatum. Quid à viris gloriae eius monimenta requiram, cùm eluceſcant etiam in fœminis? Teſtis eſt vna inſtar omnium MARGARITA IOANNIS FRANCISCI Aldobrandini filia Inuictiſsimi Ducis RANVTII coniunx integerrima. Nec quiſquam eſt tam tardi, & hebetis ingenij, qui ex oris eius figura, non poſsit omnia regiæ virtutis pigmenta recognoſcere. Quemadmodum enim Socrates, à Diotima fatidica inſtructus norat ſtatim, ex cuiusq; indole, qui eſſent mores animi, & ſenſus intimi: ita nemo eſt, in quo mica modo ſit ſalis, qui

MARGARITAM cùm intueatur, non ſentiat continentiæ, modeſtiæ, ac ſummæ virtutis exemplar ſe intueri. Virtus enim omnis in eius indole, tanquam in picta tabula, ſuis lineamentis ita eſt expreſſa, vt eos omnes à quibus cernitur, ad gloriam videatur virtutis amore accendere. Quare ſicuti quod honeſtum eſt, corpore ſimul fit, & animo: ita in oris eius figura ſpectanda, non ſolum adhibendi ſunt oculi, ſed etiam iudicium. Quocirca non poſſunt Ampliſſimo Principi RANVTIO FARNESIO, non felices, & beatæ eſſe eius nuptiæ, quæ non magis ſunt Matrimonij fœdere, quàm virtutum omnium ſocietate coniunctæ. Nam ſicuti in vxore, formæ venuſtas, omni virtutum comitatu tenetur ſtipata: ita in viro ſumma prudentia, cum pari corporis dignitate ſpectatur coniuncta. quid enim altè repetam? animaduerto ex eo ſacroſancto Matrimonio, non ſolum Italiam: Sed etiam Europam omnem geſtire lætitia. Etenim Principum matrimonia non ſolum affinitates, in coniunctione: ſed etiam in imperio, pacis, & concordiae arctiſſima quæq; habent vincula. Atq; ſi Matrimonij interuentu inter mortales, non ſolum inueteratæ intermoriuntur inimicitiæ: ſed etiam iura amicitiae concitantur ea, quae vix vlla dirimi poſſunt iniuria: quænam ex fauſtiſſimo hoc Matrimonio perpetuo futura eſt, & Hiſpaniae, & Germaniae, & Italiae ſeges, & materia concordiae? MARGARITA AVSTRIA RANVTII Auia Germaniae obſes eſt: Rex PHILIPPVS II. Auunculus ALEXANDRI FARNESII, Hiſpaniarum

arctiſſi-

arctiſſimum nunc etiam fœdus cum Italia conſtringit beneuolentiae: Rex Gallorum HENRICVS II. HORATII FARNESII Caſtri Ducis Socer, firmamenta affinitatis reliquit. Nihil eſt igitur hoc matrimonium, niſi veluti quoddam plurimarum regionum vinculum ſummo amoris fœdere conſtrictum. Res eſt Antiquis exemplorum teſtimonijs aperta. Etenim niſi Raptæ virgines Sabinae coniugio fuiſſent placatae, connubijq; iura, parentum animos reddidiſſent tranquillos, & quietos, actum omnino erat de re Romana. ex quo intelligimus odij flammam non ſolum reſtingui matrimonio: Sed etiam accendi mutui amoris ardore, & beneuolentiae. Quare nemo eſt qui, ſi pacis publicae, & concordiae guſtum, ſenſumq; modo habet, non totus iam, pro auſpicatiſſimis his nuptijs, geſtiat lætitia. Atq; vt illa omittam: is eſt RANVTIVS FARNESIVS, qui religione: gratia: veritate: obſeruantia: pietate, atq; vſu, & experientia rerum tractandarum tantum valet, vt nihil vnquam fuerit in ſapientiſſimo Principe, tam glorioſum, et admirabile, cuius per omnes gentes, non efferatur gloria, & laudibus. Nam ſicuti res eſt admirabilis Salamandra, quae non ſolum, non vritur in igne, ſed etiam ignis reſtinguit incendium: ita ille demum verè temperans eſt, & integer, qui in ardore iuuentutis, nulla flagrat cupiditate, qui in ipſo æſtu ætatis, faces omnes reſtinguit voluptatis: qui appetitus domat ratione: qui ſenſum, qui impetus omnes frenat conſilio: qui deniq; ita ſui habet imperium, vt rerum omnium ſimul videatur habere obſequium:

ſequium: quod omne, eò præclarum eſt magis, quò glorioſius eſt voluptate abſtinere, quàm frui. Sed quò me mea ab ALDOBRANDINIS *abducit oratio? aggrediuntur illi omnes ſummis vigilijs, et laboribus, quæ in omni imperij faſtigio ſunt difficillima. Nec id inconſulto. Nam ſi quis, aut ex ſcientiarum tenebris, aut ex hoſtium copijs aliquid ſtudeat commodi extorquere, ſine labore, & tolerantia: nihilo plus proficiat, quàm ſi quis det operam, vt vir bonus, ſine virtute euadat. Itaq; Cardinalis* PETRVS ALDOBRANDINVS *ſuis quaſi humeris tantam imperij molem ſuſtentat, atq; eam vrbem, quae vrbium cunctarum, orbiſq; terrae eſt domicilium, ſic in officio continet, vt non ſolum toleranti, ſed etiam hilari animo omnes videatur abſorbere difficultates. Nam quid antè quàm in purpuratorum patrum numerum à Patruo* CLEMENTE VIII. *eſt aſcitus, fecit, aut non fecit potius? qua arte, & induſtria Arci D. Angeli præfectus rem omnem adminiſtrauit? eum non ſolum Populus Romanus, propter res ab eo benè geſtas, ſed etiam tota Italia ita obſeruabat, vt eius gloria in ore, et ſermone omnium videretur habitare. Habet quippe is in tractandis Imperij habenis, Ariſtidis iuſtitiam: Scipionis ſedulitatem, atq; Mithridatis Regis conſtantiam. Quo fit vt conſueuerit, ad felicitatem imperij, aut noua documenta inuenire, aut inueterata renouare, aut deniq; renouata meliora ſemper reddere. Hic Pontificiae virtutis, & dignitatis obſes, leges eas non ſolum in tractando imperij clauo miniſtrauit, ſed etiam illuſtrauit,*

quarum

quarum adminiculis in cœlum tollitur Eccleſiæ Romanae felicitas. Atq; vt pacis, & otij iura omittam, nullum in armorum periculis eſt tam tetrum, & horridum monſtrum, cuius ille crudelitatem non quaſi nouus aliquis Theſeus vincat, ac ſuperet. Nam quo Marte in bello Ferrarienſi, periculi flammam ſtatim reſtinxit? qua arte Ferrariam vrbem munitiſſimam in deditionem venire coegit? Quemadmodum ibi apertum Argumentum eſt inclinantis imperij, vbi virtus languet Principis: ita ibi omen ſummae eſt felicitatis, vbi Princeps amicos ſuperat conſilio: hoſtes virtute. Hæc quippè eius eſt Antiſtitis ſapientia, quae capi vix poteſt hoc elementari globo. Etenim quae fluxa ſunt, & caduca deſpiciens, nihil præter id, quod diuinum eſt, & immortale ſuſpicit: opes tanquam Ludibria fortunae aut non admittit ſibi traditas: aut admiſſas partim in pauperibus recreandis, partim in extruendis, & reparandis religioſorum aedificijs erogat. Hæc cùm omnes de eo prædicant, tum vnus Melchion Alciatus Iuris publicus interpres, ea prædicandi finem nullum facit: cuius laudo voluntatem: amo magis iudicium. in eo enim viro omnia ſunt, quae inueniri ingenio, quae ornari arte, quæq; ſingulari poſſunt fieri virtute. At laudes omnes Card. P. ALDOBRANDINVS vincit magnitudine virtutis. quid dicerem pietatis? Templum D. MARIÆ in via vt dicitur, fratrum Seruitarum non vulgare vrbis Romae ornamentum; in quo, monumentum eſt P. ALDOBRANDINI Patris, non modo plurimis, ac magnificis muneribus honeſtauit:

ſtauit: Sed etiam præclaro auxit ædificio: Ædem pariter diui Nicolai, cuius in Cardinalatus dignitate, decoratur titulo, ea magnificentia reſtituit demolitam, vt non ab eo reſtituta, ſed erecta videatur. Nam quid de Fano trium vt vocant, fortium dicerem? nihil eſt tam retruſum in arte, nihil tam ingens in re numaria, quod non videatur pietatis cauſa, in vrbem aduexiſſe. His igitur virtutibus, quibus ille floret, ſummam laudem definio perfecti Principis. Nam cur apud Virgilium Æneas, qui veri Principis induit figuram, & faciem, fingitur ex matre Dea Venere, & Patre homine Anchiſe eſſe natus? non vt hoc ſentiamus, ſed vt fateamur Principem non eſſe, niſi qui norit, & diuina intelligere, & humana operari, malitq; Deo obedire, quàm hominibus imperare, quibus ille ſemper ſtuduit non praeſſe, ſed prodeſſe. Sunt præterea in hoc vno Card. ALDOBRANDINO omnia rei bellicæ documenta, atq; vniuerſa virtutum omnium ne procul, vel à Græcis, vel à Romanis petantur, exempla: ſummaq; gloriæ teſtimonia, vitae probitate expreſſa. Nam quae in pace eius eſt iuſtitia: quae in bello virtus: quae in omni fortuna moderatio? virtus in eius vita glorioſius cernitur, quàm in Herorum Hiſtorijs legitur: nec adeo verborum luce, quàm rerum ab eo geſtarum gloria illuſtratur. Sed quo ad laudes ALDOBRANDINORVM rapior? ne videar, tanquam alter Icarus, nimium ſublimia petere, ingentes eorum virtutes, quae ſua in cœlum feruntur gloria, malò deſerere, quàm eas perſequendo, ruere cum diſcrimine, & dedecore. Non

eſt igitur cur quis mecum expoſtulet, quòd iam de rebus à Card. P. ALDOBRANDINO geſtis commentarios non ſcripſerim: hæc eius tantum Apophthegmata ad ſcribendum delegerim. Nam cùm ſapienter eius facta, non poſſunt cognoſci niſi à ſapiente viro: quæ res commentarios eos ſcribendi cauſam multis præbet: facultatem tollit quaſi omnibus, ſumma atq; admirabilis eius magnitudo.

HENRI-

HENRICVS FARNESIVS Eburo Lectori beneuolo. S.

ITA eſt, vt ait ingenij, & doctrinæ decus, Atq; Academiæ Intentorum auctor & opifex Don CAROLVS Boſſius, omnia turbulentiſsimis his temporibus, collucere ſummi huius Pontificatus ſplendore. Atq; ea demum vera eſt in Card. P. ALDOBRANDINO virtutis, & doctrinæ gloria, in qua, neq; res verborum nebulis obſcurari, neq; verba rebus auguſtiſſimis non conſonare videntur. Nam vt ipſe ALDOBRANDINVS obſcura & retruſa omnia conſilio: ita difficillima quæq; vincit virtute: nemoq; eſt eius diſciplinæ, in tractando imperij clauo, alumnus, qui non videatur quaſi nouus aliquis Orpheus. At quis, inquiet aliquis, Orpheus? non qui Lyram ab Apolline, ſed qui ſapientium accepit ab ipſo rerum omnium Imperatore Deo: non qui aurium, ſed qui corporis ſenſus temperat vniuerſos: non qui cantus ſuauitate montes moueat de ſua ſede, ſed qui, quò ius, quò ratio vocat, vrbes, atq; ſummas regiones, poſt terga trahat conſilio: non qui curſus fluuiorum conuerſis reuocet fluctibus, ſed qui populum voluptate diffluentem, curſu retorto rapiat ad virtutem: non deniq; qui ſyluas permulceat vocis iucunditate, ſed qui hominum genus Sylueſtre, & agreſte norit placatum, & manſuetum reddere: quiq; eam & rerum, & ſententiarum Syluam, in conſilij capiendi trahat deliberationem, vt eius in ore, & ſermone Reges, Imperarores, ſummiq; Principes curas omnes geſtiant deponere. Quare

re

re Card. P. ALDOBRANDINI de arte imperandi di-
cta, & reſponſa, cùm mihi videantur imperij habenas tra-
ctantibus digna, quia creſcit, & decreſcit imperium, cum
imperantis diſciplina: tùm illa, & philoſophis ad intelligen-
dum, & oratoribus ad dicendum, & Principibus ad ſtrenuè
agendum cenſeo maximè eſſe accommodata. Nam cùm ni-
hil ſit ars imperandi niſi Dei, qui rebus imperat vniuerſis, di-
ſciplina, illa omnis in ea virtute eſt fundata: quæ vt mare ſuo
ambitu terræ globūm: ita ſcientiarum regiones omnes, &
lambit, & ambit veluti quodam ſapientiæ circuitu. Quo-
circa nihil meo quidem iudicio, in Muſarum hortis, poteſt
aut naſci, aut legi fructuoſius hoc, de perfecto Principe, Card.
P. ALDOBRANDINI laconiſmo: nullum germen de-
fringi doctrinæ ſuauius: nulla ſtirps ingenij propagari fe-
racior, quem ſi amabis, nihil te mordebunt, quæ in hoc libro
imprimendo, obrepſerunt menda: quæ, quoniam erroris
ſunt, non culpæ, tu, puto, feres ſine ſtomacho. Vale.

QVI

QVI
CONTINENTVR
IN HOC LIBRO
TITVLI, HI SVNT.

DE Principe. 1
De Virtute. 22
De Religione 38
De Prudentia. 55
De Conſilio. 73
De Intelligentia. 92
De Memoria. 110
De Iuſtitia. 114
De Amicitia. 133
De Liberalitate. 153
De Magnificentia. 169
De Grati animi Voluntate. 176
De Veritate. 191
De Clementia. 204
De Vindicta. 221
De Fortitudine. 232
De Magnanimitate, ſiue Honore. 243
De Fidentia. 253
De Patientia. 262
De Solertia. 273
De Perſeuerantia ſiue Conſtantia. 279
De Temperantia. 284
De Modeſtia. 302
De Felicitate. 315

DE PERFECTO PRINCIPE

APOPHTEGMATA P. ALDOBRANDINI CARDINALIS

In quibus Ars imperandi tenetur incluſa.

A B

HENRICO FARNESIO EBVRONE I. C. & Artis Oratoriæ, in Ticinenſi Gymnaſio, Regio Interprete, in librum vnum congeſta.

ATQ. REGVM, IMPERATORVM, ac Sapientiſsimorum Heroum exemplis,

EX OMNI ANTIQVITATE Aucta, & locupletata.

DE PRINCIPE TITVLVS PRIMVS.

RES eſt operoſa & difficilis, ars imperandi: nec eam benè beateq; tractare poteſt Princeps, ſine ſapientiæ lumine, aut numine potius. Non retruſa, vel etiam aperta ſunt priſcæ vetuſtatis teſtimonia. Nam apud Romanos, nullus olim propè Cæſar extitit, qui non, quaſi victus Cæſaris nomine, deterior factus eſt. Solus enim Veſpaſianus, vt Cornelius Tacitus refert, Principis dignitatem nulla dedecoris contaminauit macula. Qua-

re quidá olim, ex intimis familiaribus Claudij Neronis, nihil eſt veritus dicere, bonorum Principum imagines omnes in vnius annuli pala effingi potuiſſe. id autem lubens recenſeo, non vt antiquitati detraham, ſed vt omnes ex admirabili ALDOBRANDINORVM religione, pietate, ac ſapientia fœlicitatem recognoſcant horũ temporum. Vt enim Lychni lumen aperto ſole, ſic bonorum laus omnis cœleſti, ac diuina CLEMENTIS VIII, obſcuratur virtute: glorioſiusq́; omnes de eo ſentiunt, quàm loqui poſſunt. Nec enim formica Taurum: nec vlla nox mortalium incredibiles eius laudes poteſt abſorbere. Nam quid attinet hoc loco dicere quanta Præſtantiſſimus Cardinalis P. ALDOBRANDINVS, ſummas, quas continenter geſſit, dignitates auxerit & ornarit ſapientia? virtus eius ſingularis vno omnium ore, & ſermone ſic percrebruit, vt nullus ſit tam deſertus in Italia angulus, qui non eius reſonet nomine & fama: rumorq́; apud exteras, & longinquas gentes ipſe iam raucus ſit. Quanquam tamen Reuerendiſs. Carmelitarum Antiſtes, religionis ornamentum, & doctrinæ Decus, HENRICVS Syluius de ſummis, ac propè diuinis eius meritis ſemper aliquid habet, in quo Sol & ſal ſit recunditæ eius virtutis & glorię. is autem cùm vbiq; locorum ſemper ſummæ illius prudentiæ, iuſtitiæ, ac pietatis ſit buccinator: tum mihi Papiæ ſepè inculcauit, eum eſſe P. ALDOBRANDINVM Cardinalem, cui nunc ſummus Pontifex onus credat Atlanticum: nunc Rex Catholicus PHILIPPVS III. in cæca & obſcura conſilij capiendi deliberatione, nodum, vt eſt in prouerbio, Gordium proponat ſoluendum, eumq́; nullo in loco pedem imponere, in quo non optimi Principis veſtigia relinquat: Huius oratio apud me, non ſolum vim habuit ad fidem auctoritatis: ſed etiam, ad ſcribendum tanti Principis Apoph-

thegmata neceſſitatis. Nihil enim Religioſiſſimus hic Antiſtes neq; perhorreſcit, niſi quod turpe eſt: neq; minus cognoſcit, quàm aut conſilio labi, aut errare iudicio. Quoniam igitur non ſolum ſacer habetur ſapientiſſimus ille Princeps: ſed etiam veluti quoddam iuris Sacrarium, eius conſilium: placuit ex eo hæc, tanquam ſapientiæ ſurculos, excerpere de Principe Apophthegmata, quorum ſeries hæc eſt.

1 *Quòd ruentis Imperij res omnis fulcienda ſit Principis ſolertia.*

2 *Quòd ingens eſt, ſibi imperantis imperium.*

3 *Quòd Princeps hominum probetur ſuffragijs: fiat vero Dei conſilio.*

4 *Quòd Principi virtus imperandi, pacientia ſit depaſcenda.*

5 *Quòd ars imperandi, vna potiſſimum commendetur prudentia.*

6 *Quòd in principe oris figura minimè orba ſit ſua laude, & gloria.*

7 *Quòd Principi oris deformitas etiam ornamento ſit in virtute.*

8 *Quod Principis diſciplina ex Chirone magiſtro ſit haurienda.*

9 *Quòd Princeps nulla propius ſemita ad Deum immortalem accedat, quàm liberalitatis.*

10 *Quòd Principis auro æque pareat inimicus, atq; amicus.*

11 *Quòd clementia cum Principe ſummo conſtringatur ſocietatis vinculo.*

12 *Quòd Religio Principis Atheneus murus ſit imperij.*

13 *Quòd Princeps ciuilem omnem ſocietatem vno conſtringat iuſtitiæ vinculo.*

14 *Quòd Principis virtuti, nulla par ſit, & æqualis.*

15 *Quòd natura ius violet, qui Principem non ſumma colat beneuolentia.*

16 *Quòd præſentia Principis in rebus arduis, pro auxilio habeatur.*

17 *Quòd Principi tegenda ſint ſimulatione, & diſſimulatione ſua conſilia.*

18 *Quòd neq; virtus ſine eruditione: neq; eruditio ſine virtute ſatis ſit Principi.*
19 *Quòd & Princeps, & lex mutuo gaudeant obſequio.*
20 *Quòd ferendi ſunt, non culpandi Principes.*
21 *Quòd Princeps cura, & induſtriâ vnus inſtar ſit omnium.*
22 *Quòd ex Principis virtute petenda ſit imperij felicitas.*
23 *Quòd Principi præclarius ſit amari, quàm timeri.*
24 *Quod Diſciplina Principis nullo vacua ſit doctrinæ genere.*
25 *Quòd neq; plures ſoles mundus: neq; plures Principes idem imperium poſſit pati.*
26 *Quòd Principis ſit, non tam regere, quàm quomodo ſit regendum alijs oſtendere.*
27 *Quòd omnes Principis: non Princeps aliorum egere debeat conſilio.*

QVOD RVENTIS IMPERII res omnis fulcienda ſit Principis ſolertia. I.

CVM creſceret rerum difficultas, vna cum imperij dignitate, & magnitudine, Summo Antiſtiti ALDOBRANDINO iſq; imperium, tanquam onus Atlanticum cum omnium admirationi ſuſtineret, cuidam ex domeſticis eius, atq; intimis familiaribus ab eo interroganti, cuius præſidio fretus, tam graue imperij onus, tantamq; publicæ ſaluris molem auderet ſuſtentare: ſolertiæ reſpondit. Nihil maiore compendio aut grandius, aut dignius Principe dici potuerat. Nam ſolertia Principis, non ſolum difficultatis in imperio, ſed etiam deficientis temporis eſt medicina. Huc pertinet Maronis fides, & auctoritas. Cur enim apud eum, Æneæ comes eſt

Achates,

Achates, qui primus excitat ignem? ignis, quia neſcit quieſcere, nec vllis contaminari ſordibus, non habet ibi elementi ſignificationem: ſed ſolertiæ, quæ imperium non ſolum peperit, ſed etiam alit, ac ſumma quæq; ei incrementa tribuit. Nec aliam ob rem, puto, Achates dictus eſt Græcè ab a, priuandi particula, & χατίω indigeo, quaſi nullius rei indigens, niſi quia ibi, vbi adſit Principis ſolertia, omnia exulant, in imperio incommoda.

QVOD INGENS EST SIBI IMPErantis Imperium. II.

QVONIAM in doctrinæ ſole mentis oculos non perſtringunt; ſed illuminant rerum exempla: multa ad triumphalem Reginæ MARGARITÆ Auſtriæ ingreſſum, expreſſa Mediolani ſpectabantur Perſarum, & Aſſyriorum Regum ſimulacra. Hæc ſuſpiciens Regina, interrogauit ab ipſo legato, P. ALDOBRANDINO, quem non comitem, ſed ducem ſequebatur: qui Regum omnium eſſet maximus: qui ſibi libentius dixit, quàm alijs imperat. Sapienter ille quidem, vt ſolet omnia. Non enim ingens & admirabile eſt imperium, quod vel Africæ, vel Aſiæ, vel Europæ finibus terminatur: ſed quod vſq; eò protenditur, quouſq; ſol ipſe poteſt ſuo lumine peragrare. Hoc imperium ſolus is poſſidet, qui numquàm in alia fortuna, eſt alius: ſed ſemper idem. Hunc Græci Μικροκοσμον vocant quaſi, per antiphraſim, magnū mundi dominum. potuit enim Cyrus Aſię: potuit Anibal Aphricæ: potuit C. Cæſar Europæ Imperare: non potuit non turpiter huic mundo ſuccumbere.

QVOD PRINCEPS HOMINVM *probetur ſuffragijs : fiat verò Dei conſilio. III.*

CREATO CLEMENTE VIII. cùm vniuerſus geſtiret lætitia populus, rogareturq; à quibuſdam P. ALDOBRANDINVS quorum ſuffragijs ſummus factus eſſet Pontifex: Non fit, reſpondit, ſummus Princeps: ſed factus de cœlo recipitur. Nam maius imperium à minore creari ius non eſt. Cœleſtis verò, & diuina reſponſio. Idipſum enim puto, vt doceret, & Homerus apud Græcos, & Virgilius apud Latinos; alter Herculem ex Deo Ioue patre, & fœmina Alcmena matre: alter Æneam ex matre Dea Venere,& Patre Anchiſe voluit eſſe natum.ex quo fas eſt odorari Principem non tam ex humano, quàm ex diuino fieri conſilio. Nec enim par eſt, & conſentaneũ rationi, vt quis fiat ab hominibus, qui poteſt plus, quàm hominum vis ſimul poteſt, & natura. Non igitur quod multi: ſed quod ſapiens loquitur eſt probandum.

QVOD PRINCIPI VIRTVS *imperandi patientia ſit depaſcenda. IIII.*

CVM aliquando neq; P. ALDOBRANDINVS piacula populi: neq, Populus P. ALDOBRANDINI iuſtitiam ſine ſtomacho videretur pati: dixit ſapientiſſimus ille Antiſtes Principi multò plus cum populo, quàm olim fuit Herculi cum tauro eſſe negotij: nec quicquam eſſe difficilius, quàm populum, qui bellua eſt multorum capitum, vno rationis freno arcere, atq; in officij gyro retinere. Sapienter ille quidem: Nihil enim eſt, vt

aſſeuerabat Diocletianus Cæſar, Imperij domus, niſi Arca Noes. Nec enim in ea tot, tantæ, tamq; variæ beſtiæ tenebantur incluſæ: quot, quanto, quàmq; inter ſe diſſidentes reſident in ciuitate perturbationum varietates, & veſanę hominum opiniones. Quare optimè ille demum nouit gubernacula tractare imperij, cui conſuetudo diuturna quaſi callum quoddam obduxit labori: quiq; aduerſus omnia mala, obduruit patientia.

QVOD ARS IMPERANDI vna potiſſimum commendetur prudentia. V.

DISCEPTANTIBVS nonnullis de arte imperandi, inter quos fortè inciderat, ſubriſit, quòd multa ſine argumento, ſine ſale & condimento effutirent. Eorumq; ineptias vt tegeret potius, quàm vt nodum ſolueret quęſtionis: dixit, & artem & arcem Principis vnam eſſe prudentiam. Hoc cęteri principes omnes, ex oraculo Apollinis Pythij, ſibi editum putent: nihil poteſt eſſe verius. habet enim prudentia in conſilij deliberatione, futuri temporis proſpicientiam: in iudicij æquitate, pręteriti Memoriam: atq; in pręſenti, rerum agendarum, & vitandarum ſcientiam. Nec alia de cauſa Perſę opinor, Regem Cyrum inquiebant à Cane fuiſſe nutritum, niſi vt eum gnarum imperandi eſſe oſtenderent. Non enim canis habet animi plus, ad mala oppugnanda, quàm ſagacitatis ad bona inueſtiganda. Ex hoc commento, quod nihil ſonat, aut olet niſi artem regiam, intelligimus, eum etiam in periculis fortitudine deſtitui, qui in otio, & pace vacat prudentia. Nam fortitudo prudentia expers, fortitudinis nomen amittit: induit temeritatis.

QVOD IN PRINCIPE ORIS *figura, minimè orba ſit ſua laude, & gloria.* VI.

QVIA non ſolum frons, ſed etiam vniuerſa totius corporis figura, tacita eſt animi oratio: illa in ijs præſertim, qui perſonam induunt publicæ ſocietatis, minimè eſt contemnenda. vbi igitur de forma ageretur Principis: etſi, dixit, non eſt faciendum de Principe iudicium ex oris figura, ſed ex moribus: habet tamen Principis forma, & ſpecies liberalis non minimum ad dignitatem ponderis. Cæci enim eſt, & amentis quærere, cur ſi amentur quæ pulchra ſunt, gratus ſit & iucundus is, in Imperio, cuius forma grauis ſit & elegans. Barbari ferè omnes nullos putabant magnorum operum eſſe opifices, niſi illos, quos ipſa corporis ſpecies, ad opinionem laudis publicæ euexerat. Itaq; Macrobij, qui, vt cæteras Gentes prætercam, Meroen Nili Inſulam incolebant; Principem, cui parerent à formæ pulchritudine eligebãt: nec vnquàm deformi viro obedire dignabantur. quæ res ad Aphricani maioris laudem, non paruus accedit cumulus. Nam ea is fuit formæ dignitate, vt inter quoſcunq; viros eſſet, ſolus præter cæteros, videretur imperio dignus. Quare Principi non ſolum eſt occultanda animi, ſed etiam corporis deformitas. illa enim laudem comminuit: auget hæc contumeliam. Quocirca Periclem, cuius præclara geſta omnis Græcia admirata eſt, ſculptores eius imaginem, Caſſide velabant, ne deformitas appareret, quia oblongo erat capite.

QVOD PRINCIPI CORPORIS deformitas, in virtute ſit ornamenti loco. VII.

NONNVLLIS obicientibus Galbæ Imperatori, & Annibali corporis deformitatem: præclaram dixit eam eſſe, in principe, oris turpitudinem, quam non fucus glorioſam redderet, ſed animi decus. Non enim in adminiſtrando imperio de forma, ſed de ſapientia fit contentio. Nec Princeps requiritur robuſtus, ſed fortis: nec elegans, ſed ſapiens. Itaq; etſi inter Medicos Hippocrates ſtrabo erat, Imbecillis, paruus, & deformis: quia tamen neminem curauit, quem ad priſtinam ſanitatem non reſtituit: nihilq; alteri prædixit, quod ei non contigerit: Hippocratem omnes Medici, poſt Æſculapium, maximè colunt, & obſeruant. duplex quippè in eo fuit gloria: vna quòd norit naturæ non cedere impedimentis: altera, quòd non ignorarit ipſa, in cæteris hominibus, formæ ſuperare commoda. Sic & Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex laudatur, qui cum toruus eſſet aſpectu, & altero pede claudus: nomen tamen regis ſuperauit magnitudine virtutis. Nec ei probro fuit imbecillitas corporis. Fortis enim multo robuſtior eſt Cyclope Vlyſſeo. Hic quippe poterat tantum ſaxum, quod duo, & vigenti iuga boum non valebant amouere, parua manu huc, illuc verſare: ille non ſaxum, ſed Imperium potuit, & depræſſum attollere, & elatum deprimere. Etſi enim non habebat vires Atlantis, qui mundi globum ſuis ſuſtentabat humeris: eos tamen habebat animi neruos, quibus mundus ipſe cogitur cedere, atq; obtemperare.

QVOD PRINCIPIS DISCIPLINA ex Chirone magiſtro ſit haurienda. VIII.

CVM pluris ſit Principem benè inſtitui, quàm bene naſci, eſt eorum mens graui opinionis errore oppreſſa, atq; impedita, qui autumant neq; rem literariam armorum: neq; arma, literarum præſidio magnoperè egere. Itaq; Muſarum ille Mecęnas, non ſolum plerumq; ingemuit educationem Principum alterutro deſtitui: Sed etiam dixit iccircò nullum inclinato iam imperio præſto adeſſe Achillem: quia nemo Chirone vteretur præceptore. latet in ipſo verborũ lepore acer, & acerbus reprehenſionis aculeus. Chiron enim Centaurus, apud Homerum, ex altra parte hominis: ex altera equi ſpeciẽ præſeferens: ideò Achilli eſt datus, vt cum equus rei bellicæ, homo virtutis literariæ ſit miniſter, oſtenderetur æque diſciplina literarum, atq; arte militari, vt felix ſit imperium, inſtructũ oportere eſſe Principem. Non minus quippè eſt Principis glorioſũ, populũ in proſperis fortunæ ventis, legibus arcere, ne labatur in luxuriã: quàm in aduerſis caſibus, inclinatum erigere, & reſtituere perditũ. qui verò vtrumq; poteſt, dicitur Princeps fortunatus, hoc eſt vtriuſq; fortunæ, aduerſæ ſcilicet, & ſecundæ magiſter, & dominus.

QVOD PRINCEPS NVLLA PROPIVS ſemita ad Deum Immortalem accedat, quàm liberalitatis. IX.

ETSI beneficio homines, vt hamo piſces, trito ſermone prouerbio, non modo capiuntur, ſed etiam conſeruatur: capere tamen ab infimis hominibus,

quæ

quæ ſunt exigua, nunquàm recuſatur ALDOBRANDINVS nec ſumma ijs ſæpe dare. Quare cuidam interroganti quodnā in tanta multitudine, & varietate munerum gratiſſimum putaret collocatum apud amicos, beneficium: quod reſpondit, non fuit petitum. gratum enim eſt prodeſſe: gratius humaniter. illud quippe eſt vtile tantum: hoc etiam iucundū: vtrumq́ſ ſimul præſtare eſt magnæ virtutis, nec exiguæ gloriæ. Nam quò quis impenſius benefacit, eò magis vim & naturam Dei immortalis attingit. Æthiopes igitur, qui vlteriorem Nili regionem incolebant, vt ſtrabo Geographus ſcribit, duos colebant Deos, vnum immortalem: alterum mortalem. Illum dicebant qui rerum omnium eſt cauſa: hunc à quo plurimi afficiuntur beneficio. ex quo intelligimus nihil eſſe Principi laudabilius ea liberalitate, & beneficentia, quæ cenſetur ad plurimos proficiſci.

QVOD PRINCIPIS AVRO ÆQVE pareat inimicus, atq; amicus. X.

CVM in ſermonem de bello incidiſſet, interrogareturq; quomodo contra hoſtes ſuperiores eſſet pugnandum: non ferro, dixit, ſed auro. Salsè id quidem. Nam Philippus Macedonum Rex, hoſtium vrbes dando expilauit magis, quàm rapiendo. Quocirca Græcorum ſermone percrebruit, non à Philippo, ſed à Philippi auro direptam fuiſſe Græciam. Nihil eſt non modo apud amicos, ſed etiam apud inimicos omnes, auro valentius. Itaq; Alexander Philippi filius, vt beneficentia, ſic rebus geſtis reges omnes ſuperauit.

QVOD CLEMENTIA CVM PRINCIPE *ſummo conſtringatur ſocietatis vinculo.* XI.

CVM nihil ſit neq; gratius populo, neq; iuri renitentius impunitate: difficile eſt Principi, in animaduertendó, vtriq́; ſatisfacere. Sciſcitáti igitur quæ vindicta contra improbos eſſet ſumenda. Ea dixit, quæ corrigit, non deſtruit. Non eſt obſcurum, in Apum Rege, qui ſolus inter omnes apes aculeo deſtituitur, naturæ teſtimonium. quid enim ab Antiquitate, quod paucis perſtrinxit tantus, tamq; ſapiens Antiſtes, altius repetam? Non alia de cauſa ex Iouis ſemine, vt eſt apud Orpheum, natæ ſunt preces, niſi vt admoneantur Principes omnes, apud ſe miſerorum preces ponderis plus ſæpè debere, quàm iura ipſa, & leges habere.

QVOD RELIGIO PRINCIPIS, *Aheneus murus ſit Imperij.* XII.

CVM multa vario, & ancipiti Marte conflictantur regna, afflictumq́; paſſim, & iacés ſit imperium: interroganti fortè quà in re firmamenta poſita eſſent, imperij: in religione, reſpondit, Principis. Nihil hac vna voce neq; ſanctius, neq; verius audiri potuit. Nam ſi antiquos conſulimus, cur apud Homerum, ea ciuitas, in qua erat Palladium, nulla vi hoſtium expugnari poterat? nihil eſt Palladium, ſi benè attendimus, niſi præſidium religionis, qua cum ſemper creſcit, & decreſcit imperium. Ab hac, Princeps rerum agendarum omnia primordia debet capere.

capere, Nam religione magiſtra, & Deo duce non poteſt errare. Nec quicquàm eſt, quod Principem magis commendat populo, quàm religio. fieri enim non poteſt, vt quis ſit religioſus, qui non item ſit pius, clemens, & iuſtus. Quare Cyro Religionem in primis commendauit Cambyſes pater.

QVOD PRINCEPS CIVILEM *omnem ſocietatem vno conſtringat iuſtitiæ vinculo.* XIII.

QVONIAM facile, ait Saluſtius, ijs artibus Imperium retinetur, quibus ab initio partum eſt; interrogatus à quodam, cuius rei gratia Princeps primum eſſet creatus, iuſtitiæ reſpondit. Nec fallo id quidem. Nam vt ſcribit Herodotus, nulla eſt arctior humani generis ſocietas, quàm quæ iuſtitiæ vinculo conſtringitur: nec magis reſp. poteſt conſiſtere ſine iuſtitia: quàm hominis vita, ſine anima. Quod omne ex nomine patere videtur Principis. Non enim alia de cauſa Princeps à capite eſt dictus, niſi vt, ſicuti ex capitis partibus, per vniuerſum corpus, nerui omnes, & ſenſus diſtribuuntur, ita intelligamus ex principe, per vniuerſum imperium iuſtitiam manare, oportere.

QVOD PRINCIPIS VIRTVTI *nulla ſit par, & æqualis.* XIV.

ARCTA & aſtricta dubitationi ſemper ferè eſt veritas. Itaq; cùm vis potentia, & robur à quibuſdam laudaretur principis: atq; iccirco inter ſe quærerent quidnam eſſet id, quo princeps potiſſimum inter eros mortales deberet anteire: virtus reſpondit.

ita

ita quippè natura comparatum eſt, vt optimus quiſq; Imperet deteriori. Quoniam igitur Princeps imperat omnibus, par eſt rationi, vt omnium ſit optimus. Ideo autem antiquitas Iouem Principem fecit deorum: vt mortales ſibi perſuaſum haberent, eum demum eſſe Principem, qui quantum cæteris præſtat dignitate: tantum ijs antecellat Virtute.

QVOD NATVRÆ IVS VIOLET, qui Principem non ſumma colat beneuolentia. XV.

VBI de bono publico incidiſſet quæſtio: dixit nihil in terris, poſt Deum immortalem, nec melius eſſe, nec amabilius Principe. Perſonam enim induit publici commodi, & communis ſalutis, cuius ex finibus & terminis, quod exulat, ſtatim nomen amittit bonitatis. Nam detracto, aiunt Dialectici, vniuerſali, detrahuntur ſingularia. Eò igitur pluris à nobis debet fieri princeps, quò pluris eſt totum qualibet ſua parte, idq; non ex Philoſophorum modo opinione, ſed etiam ex naturæ, quæ neſcit mentiri, diſciplina. Nam cur natura duce, minus cibo, & potu animans oblectatur, quo ſuſtentatur, quàm re venera, qua ipſa deſtruitur? quia certè quidem ille ad bonum priuatum: hæc ad commune bonum, quod eſt propagandum, magis pertinet. ex quò intelligimus, nihil magis eſſe contra naturæ ius, quàm priuatum commodum publico anteponi, atq; Principem non proxime, ac ſecundum Deum, coli & obſeruari. Nam qui amat Principem: amat publicum bonum, in cuius fide, & tutela, quæ diuina ſunt ſimul, & humana poſita ſunt omnia.

QVOD

QVOD PRÆSENTIA PRINCIPIS: *in rebus arduis, pro auxilio habeatur.* XVI.

MAGNA eſt in otio dignitas principis: auctoritatis vis multò, in bello maxima. Cùm quæreretur igitur, quod in conflictu ægrè renitentibus ſummum eſſet præſidium, conſpectus, dixit, Principis. Nam ſicuti Aquila vna ſexcentas fugat aues: ita ſolus ſæpe Imperator vniuerſum territat exercitum hoſtium. hùc accedit, quòd ſine duce, eneruantur militum animi. Nec ſolum Principis: ſed etiã dignitatis oportet adſit præſentia. hoc ſentiens Agabrias aiebat pluris eſſe pecudum exercitũ, Leone duce, quàm Leonum imperante pecude: quocirca nemini debet mirum videri, quòd vbi, in pugna Pharſalica, animo concidit Pompeius, atq; aciem reliquit, ibi ſtatim ſumma ſtrages à Cæſare non renitentibus, ſed fugientibus hoſtibus ſit illata. Nam ſicuti in alto nauigantes quò ducit Gubernator, qui ſedet in puppi, clauumq; tenet: ſic milites in bello, Imperatorem omnes ſequuntur.

QVOD PRINCIPI TEGENDA SINT *ſimulatione, & diſſimulatione ſua conſilia.* XVII.

QVONIAM ſemper, in principe, latens ſit oportet animi ſui voluntas: nunquàm apertum conſilium: cuidam ſciſcitanti quis maximè eſſet ad benè imperandum accommodatus: qui naturam reſpondit habet Polypi: nouitq; in populo morum colores omnes induere: atq;, vt dicam apertius, qui ita artificio ſimulandi, & diſſimulandi eſt eruditus, vt frons ipſa, quæ tacita eſt animi oratio, longe alia, quàm animus loqui videatur.

videatur. Nihil hoc vno prudentius dici poterat. Teſtis eſt vnus inſtar omnium Alcibiades. Nam tanta fuit ad id, ingenij facilitate, vt ad hoc vnum natus eſſe videretur, quod ipſe vltro ſuſceperat. Itaq; pro diuerſis populorum moribus, ita mutabatur, vt apud eos non inſtructus, ſed natus: non inquilinus, ſed habitandi dominus videretur.

QVOD NEQVE VIRTVS SINE eruditione: neq; Eruditio ſine virtute ſatis ſit Principi. XVIII.

CVM res ſit plena admirationis perſona Principis, qui non intelligit Principem vim habere numinis, nulla excuſatione vti poteſt, niſi ſtuporis. Sciſcitanti amico igitur, qualis debeat eſſe Princeps, doctus ne, an vir bonus: neuter illorum dixit. Nam alter alijs magis quàm ſibi: alter ſibi potius quàm alijs prodeſt. ſed ſapiens, ait, ſit oportet, vt non ſolum norit alijs imperata dare, ſed etiam ipſe facere. Quare neq; Sylla, neq; Lyſander vacat repræhenſione. Ille enim cum eſſet diſſolutus & perditus, ciues ad frugalitatem legibus compellebat: Hic contrà ciuibus flagitiorum lenocinia permittebat, à quibus ipſe abſtinebat. Laudatur igitur ex ALDOBRANDINI ſententia, princeps Lycurgo ſimillimus, quippe qui nihil vnquàm in alios ſtatuit, quod ipſe non ante ſeruarit. quæ res plurimi intereſt Reip. Nam qualis eſt Princeps, vt refert Plato, talis ſolet eſſe ipſe populus. Teſtis eſt ipſa temporum vetuſtas. Nam cùm Ptolemaici Reges Mathematicas diſciplinas callerent, eorum temporibus, complures egregij mathematici claruerunt: cumq; contra Xerxes voluptati eſſet deditus, regiones omnes, quibus ille imperabat, omni turpitudinum genere

conta-

contaminauit. Nihil enim eſt principum vita, niſi aliorum omnium inſtructio, & diſciplina.

QVOD ET PRINCEPS, ET LEX mutuo gaudeant obſequio. XIX.

PLATO vix quicquàm inter legem, & Principem, facit diſcriminis: eò quòd hic legis vim habeat loquentis: illa principis, qui expers ſit mortalitatis. cùm igitur in dubium veniſſet vter alteri in adminiſtratione Reip. deberet obtemperare, dixit par eſſe ſuperiorem imperare inferiori: legem diuinam præſtare principi: Principem ciuili. Ideo virum ab illius virtute: hinc autem virtutem à viro eſſe nominatam. Quare vt lex ſcripta paret principi, corrigiturq́, eius æquitate, ita Princeps ſubijcitur rationi, hoc eſt legi non ſcriptæ, cui niſi obtemperet, nomen amittit Principis, induit Tyranni. In iure igitur ſcripto ſatius eſt per Principem adminiſtrari Remp. quàm per legem. Nam vbi eſt Princeps, ibi, vt ait Euripides, Deus eſt in humano corpore hoſpes. quod cùm olim ſentirent Perſæ, Reges omnes ſuos adorabant: omniſq́; fere antiquitas eos fecit ex Ioue natos.

QVOD FERENDI SVNT, NON culpandi Principes. XX.

MINIMA culpa in Principe fit maxima. Nam vt deteſtabilior eſt inſcitia in magiſtro, quàm in diſcipulo: ita turpius eſt vitium in Principe, quam in populo: itaq; cùm concitaretur hic dubitandi ſcrupulus, num Princeps prauus eſſet tolerandus. dixit

Principem à populo magis ferẽdum eſſe, quàm culpandum. Siquidem nemo, poſt homines natos, vnquam eſt iuuentus, cui nihil deeſſet. Notatur igitur Cæſar ambitionis: Alexander temulentiæ: Pyrrhus inconſiderati furoris: Annibal ambiguæ fidei: Fabius tarditatis: Marcellus præproperæ feſtinationis. Qua ex re intelligimus, neminem omnibus horis ſapere; nec omnes omnia poſſe.

QVOD PRINCEPS CVRA, ET Induſtria vnus inſtar ſit omnium. XXI.

CVM nihil intentatum, quod ad felicitatem reip. pertineat, relinquant Principes: interroganti cuidam ex amicis, quid in bonis potiſſimum curare deberet Princeps, non bonum dixit corporis, vt medicus: non animi, vt Theologus: non fortunæ, vt iuriſperitus: ſed hæc ſolus vniuerſa. grauis certè, & tali Antiſtite digna reſponſio, cui multis ante ſæculis ſuffragatus eſt Demoſthenes. Sed tamen cum morſu aliquo in imperium, & aculeo. Nam in exilium proficiſcens, vbi Arcem Athenienſium ſuſpexit, altiore voce exclamaſſe dicitur, ò Pallas vrbium cuſtos, cur tribus truculentiſſimis belluis delectaris: Noctua, Dracone, & Populo? inſignia hæc tria quæ Palladi tribuuntur, docent vniuerſa bonorum genera conſiſtere in principis tutela. Corporis enim, & virium neruos ſapit populus: fortunæ bona olet Draco, qui vt elementis fruatur omnibus, volat cum alitibus, natat cum piſcibus, & graſſatur cum quadrupedibus: animi vero lumen noctua, quæ in tenebris videt plus, quàm alites cæteræ aperto Sole.

QVOD EX PRINCIPIS VIRTVTE Petenda ſit Jmperij fœlicitas. XXII.

QVIA Acrius videntur turpia, quàm recta: hebeſcuntq; ſæpè in rectis percipiendis hominum oculi, quærenti aliquando vnde felicitas proficiſcatur reip. non ex lege, non ex populo dixit, ſed ex Principe. Nam vt itineris duces, qui recta antecedunt via, hoc præſtant ſequentibus, vt nunquam aberrent: ſic qui bonus eſt princeps, nec à rationis ſemita deflectit, nec alios ſinit deflectere. Hinc Plato ſolitus eſt dicere, tum fore beatam remp. cum aut ſapiens inciperet regere, aut Rex ſapere. Nam vt vetus eſt Xenophontis ſententia, omnes ciuiles ſocietates, eorum ruunt vitio, qui illis præſunt. Quare ſi reſp. rectè adminiſtraretur: perpetua euaderet, & cum virtute immortalis.

QVOD PRINCIPI PRÆCLARIVS ſit amari, quàm timeri. XXIII.

RERVM in dubijs ſuſpicio multos non ſolum amariores, ſed etiam mordaciores facit. cum igitur multi, dentes in ſui rectores exacuant, quod vt caueretur, ſciſcitanti cuidam quomodò amaretur Principis imperium, ſi talis reſpondit princeps fuerit in ſubditos: qualis pater eſt in liberos. Nec alia de cauſa, puto, Homerus Iouem, quem deorum, hominumq; regem facit, patrem appellat, niſi vt demonſtret regnum paternum eſſe imperium. Itaq; ius, neq; ab imperando, neq; à præcipiendo eſt dictum, quorum alterum eſt domini: alterum magiſtri: ſed dictum eſt à iubendo, quaſi iuſſum:

quòd iubere patris eſt proprium, vt in iure nihil ſit non plenum amoris, & beneuolentiæ.

QVOD DISCIPLINA PRINCIPIS nullo vacua ſit doctrinæ genere. XXIV.

QVIA imperium Principis, multa adiumenta doctrinæ deſiderat, interrogatus ab amico qualis diſciplina deberet eſſe Principis, in bello, reſpondit, qualis Achilli: in pace, & otio qualis Vlyſſi tribuitur ab Homero. illi enim animi fortitudo, corporis robur, diſciplinaq; aſcribitur militaris: huic omnes ingenij tribuuntur dotes, conſilium, eloquentia: prudentia quidem tanta, vt omnia etiam videat in tenebris, & audiat in ſilentio.

QVOD NEC SOLES PLVRES mundus: nec plures Principes idem imperium poteſt pati. XXV.

QVIA ſapientis oratio auctoritatem habet rationis, & veritatis teſtimonium, nemo ſine culpa non poteſt in ſententia ALDOBRANDINI acquieſcere. Eſt autem in eius ore, & ſermone hoc peruagatum, quòd longè melius à Principe, quàm à Rep. adminiſtretur populus. Virtus coniuncta enim roboris plus habet, quàm diuiſa. itaq; Romani in magnis periculis, dictatorem vnum creabant, cuius imperio omnia permittebant: Dictatoremq; iccirco appellari Varro exiſtimauit, quòd illius dicto omnes auſcultare, atq; obtemperare cogerentur. Nec Romanorum ſolum, ſed etiam naturæ patet teſtimonio, vnius imperium, plurium Imperio eſſe anteponen-

ponendum. Vnitas enim, quæ Μονὰς à Grecis dicitur, mas eſt ſimul & fœmina: par & impar, nec per ſe numerus, ſed fons, & caput numerorum, Principij & finis expers: principium tamen, & finis rerum omnium. Ex quo non ſolum amicitiæ, ſed etiam Dei conſtituitur Symbolum.

QVOD PRINCIPIS SIT NON TAM regere: quàm quomodo ſit regendum alijs. oſtendere. XXVI.

PARVM eſt Principi, vitæ ſplendorem nullis maculis aſpergere. Nam dignitatem muneris augere debet virtute. Quare ex ALDOBRANDINI percrebruit oratione, glorioſum Principem eſſe eum, non qui ſciret imperare, ſed qui multos ad imperandum, ex imperitis redderet peritos. huc pertinet Iphicratis gloria, qui iactitabat ſe neq; equitem, neq; ſagittarium, neq; ſcutatum, neq; peditem eſſe, ſed eum, qui hos omnes poſſet inſtruere.

QVOD OMNES PRINCIPIS: NON Princeps aliorum egere debeat conſilio. XXVII.

CVM res ſit moroſa, adminiſtratio Principis, quia vt ait Chriſippus, ſi benè regit populo: ſin malè Deo diſplicet: interrogatus cuius conſilio vti potiſſimum deberet Princeps, proprio reſpondit. Magna enim eſt imperij infirmitas, cum Princeps aliorum magis, quàm alij Principis cogantur vti conſilio. hoc ſentiens Anacharſis felicitatem Reip. ex eo definiebat Principe, qui ſolus ſaperet. Nam populus debet ab ore principis pendere, tanquàm ab aliquo Delphico oraculo.

quòd iubere patris eſt proprium, vt in iure nihil ſit non plenum amoris, & beneuolentiæ.

QVOD DISCIPLINA PRINCIPIS nullo vacua ſit doctrinæ genere. XXIV.

QVIA imperium Principis, multa adiumenta doctrinæ deſiderat, interrogatus ab amico qualis diſciplina deberet eſſe Principis, in bello, reſpondit, qualis Achilli: in pace, & otio qualis Vlyſſi tribuitur ab Homero. illi enim animi fortitudo, corporis robur, diſciplinaq; aſcribitur militaris: huic omnes ingenij tribuuntur dotes, conſilium, eloquentia: prudentia quidem tanta, vt omnia etiam videat in tenebris, & audiat in ſilentio.

QVOD NEC SOLES PLVRES mundus: nec plures Principes idem imperium poteſt pati. XXV.

QVIA ſapientis oratio auctoritatem habet rationis, & veritatis teſtimonium, nemo ſine culpa non poteſt in ſententia ALDOBRANDINI acquieſcere. Eſt autem in eius ore, & ſermone hoc peruagatum, quòd longè melius à Principe, quàm à Rep. adminiſtretur populus. Virtus coniuncta enim roboris plus habet, quàm diuiſa. itaq; Romani in magnis periculis, dictatorem vnum creabant, cuius imperio omnia permittebant: Dictatoremq; iccirco appellari Varro exiſtimauit, quòd illius dicto omnes auſcultare, atq; obtemperare cogerentur. Nec Romanorum ſolum, ſed etiam naturæ patet teſtimonio, vnius imperium, plurium Imperio eſſe antepo-

ponen-

ponendum. Vnitas enim, quæ Μονάς à Grecis dicitur, mas eſt ſimul & fœmina: par & impar, nec per ſe numerus, ſed fons, & caput numerorum, Principij & finis expers: principium tamen, & finis rerum omnium. Ex quo non ſolum amicitiæ, ſed etiam Dei conſtituitur Symbolum.

QVOD PRINCIPIS SIT NON TAM regere: quàm quomodo ſit regendum alijs. oſtendere. XXVI.

PARVM eſt Principi, vitæ ſplendorem nullis maculis aſpergere. Nam dignitatem muneris augere debet virtute. Quare ex ALDOBRANDINI percrebruit oratione, glorioſum Principem eſſe eum, non qui ſciret imperare, ſed qui multos ad imperandum, ex imperitis redderet peritos. huc pertinet Iphicratis gloria, qui iactitabat ſe neq; equitem, neq; ſagittarium, neq; ſcutatum, neq; peditem eſſe, ſed eum, qui hos omnes poſſet inſtruere.

QVOD OMNES PRINCIPIS: NON Princeps aliorum egere debeat conſilio. XXVII.

CVM res ſit moroſa, adminiſtratio Principis, quia vt ait Chriſippus, ſi benè regit populo: ſin malè Deo diſplicet: interrogatus cuius conſilio vti potiſſimum deberet Princeps, proprio reſpondit. Magna enim eſt imperij infirmitas, cum Princeps aliorum magis, quàm alij Principis cogantur vti conſilio. hoc ſentiens Anacharſis felicitatem Reip. ex eo definiebat Principe, qui ſolus ſaperet. Nam populus debet ab ore principis pendere, tanquàm ab aliquo Delphico oraculo.

TITVLVS SECVNDVS DE VIRTVTE.

QVONIAM vt Rationi corpus: ſic Principi obedire debet populus, faciliuſq; mundus ſole, quàm populus Principe poteſt carere: qui Principem contemplatur, verum ſapientiæ exemplar, qua reguntur vniuerſa, contemplari videtur. cùm igitur in ſermonem Don CAROLI Boſſij incidiſſem, quem de ſumma atq; admirabili virtute P. ALDOBRANDINI Cardinalis habebat, multa retulit cur ſummus ille Religionis, ac pietatis Antiſtes viuens in terris, habitare in cœlo, cum Deo immortali, continenter videatur. ille igitur cùm multos, tùm me vnum in primis vehementer mouit. Nam tanta præſtat ſapientia, vt ſicuti Sylla conſueuit dicere in C. Cæſare multos eſſe Marios, ita auſim iam fateri, in vno Don CARLO Boſſio plurimos eſſe Solones. cùm igitur nullus vrbis ſinus ſit apud nos tam recunditus, qui tanti Cardinalis non reſonet laudibus, & gloria; tum vnice amo eius de virtute Principis ſapienter dicta, & reſponſa. Nihil enim eſt virtus, niſi Demon Socratis, quo ille duce fertur nunquam erraſſe. Sola quippe virtus vna cum Deo neſcit errare. Quare non falſo qui habenas tractant imperij, ad virtutem omnia referunt: optimateſq; eò quaſi optimi, ſunt dicti, quod præmium virtutis ſit ipſe Deus. de ea autem Apophthegmatum ſeries hæc eſt.

1 *Quòd virtus ſola pariat viros.*
2 *Quòd nunquam ſit miſer, qui poſſeſſionem habeat virtutis.*
3 *Quòd vir bonus nunquam in alia fortuna ſit alius.*

Quòd

4 *Quòd viris bonis non ſit ſcripta lex: quia vltrò honeſta ſequitur.*
5 *Quòd ſumma ſit virtutis, cum doctrina affinitas.*
6 *Quòd virtutis ſit vincere, non vinci.*
7 *Quòd ex virtute effloreſcit imperij fœlicitas.*
8 *Quod virtus neq; creſcat, neq; decreſcat.*
9 *Quòd bono viro nihil ſit ſimilius Deo.*
10 *Quòd vir doctus alijs: vir bonus ſibi magis conſulat.*
11 *Quòd artium omnium procreatrix & magiſtra ſit virtus.*
12 *Quòd mira bonorum virorum ſit paucitas.*
13 *Quòd nullus virtute vberior ſit theſaurus.*
14 *Quòd res operoſa, & difficilis ſit virtus.*
15 *Quòd virtus medicina ſit ſenij.*
16 *Quòd virtus armatura ſit quæ nec ferro penetrari: nec dolo poſſit ſurripi.*
17 *Quòd virtus lorica ſit aduerſus timorem.*
18 *Quòd nihil ſit virtute clementius.*
19 *Quòd viro bono nihil ſit grauius iactura operæ & ſtudij.*
20 *Quòd boni viri aduerſus imbrobos mite ſit iudicium.*
21 *Quòd ex virtute, omnis exulet calamitas.*
22 *Quòd ſola virtus ſibi honorem vendicet.*
23 *Quòd res ſit admirabilis virtus.*

QVOD VIRTVS SOLA pariat viros. I.

ETSI virtus non ſolum eſt honeſta, ſed etiam honeſtos reddit eos, à quibus tenetur complexa difficile eſt tamen dicere, vtrum plures virtutem laudent: an pauciores ſequantur. eò quòd ſemper virtus eſt in bonorum morſu aliquo, & aculeo. cuidam igitur ſciſcitanti quodnam in terris maximum ex virtute mor

tales referant præmium, quam qui habet nullum vitæ ſuæ tempus videt cruciatu vacuum. quòd, reſpondit, viri fiunt. præclara verò vox,& tali tantoq; Principe digna. Non enim magis Muſici ex Muſica, quàm viri ex virtute, & fiunt, & dicuntur. Nam ſi Antiquitatem conſulimus, cur veteres virtutem, non viri imagine effingebant, ſed fœminæ? quia certè quidem,niſi plane hebeſcimus,ſola virtus viros parit. Quam igitur Plato dixit virtutem,officium ab efficiendo, quòd viros efficiat, nominauit ingenij & eloquentiæ Princeps Cicero.

QVOD NVNQVAM SIT MISER, qui poſſeßionem habeat virtutis. II.

SOLET ſapientiſſimus ille Antiſtes, in recreandis Religioſorum familijs, virtutem prædium Plutonis vocare. Salsè quidem. Non enim quis magis propter virtutis honeſtatem, dicitur vir bonus, quàm propter vtilitatem,felix & beatus. Nam quorſum apud Homerum,cornu Amaltheæ? ſignificationem habet virtutis dona omni tempore ferentis, quam qui habet, nihil fruſtra cupit, ſibiq; ſolus ad bene beateq; viuendum ſufficit. Bias igitur, cùm in direptione patriæ admonerentur omnes,vt aliquid ex ſuis bonis aſportarent,nudus exijt, quod admirantibus alijs, omnia,dixit, bona mea mecum porto. virtutem enim, non pecuniam, bonam eſſe putabat: ſuam ſolam probitatem,non fortunam. Nam ſi Euripidi credimus,

non numiſma ſplendens,argentum ſolum eſt, & aurum:
ſed etiam virtus hominibus moneta recondita
eſt omnibus,quam qui habet,non ſolum fit diues, ſed etiam
diuinus.

QVOD

QVOD VIR BONVS NVMQVAM in alia fortuna, ſit alius. III.

CVM haberetur aliquando de virtutis laudibus oratio: tùm cuidam fortè quærenti, cuius pręmij fiducia olim fretus miles Romanus, qui omnia definiebat lucis huius vſura, mortem in armis non refugeret, conſtantiæ reſpondit. magna verò, & prolixa oratione digna, in ſolo verbo ſententia. Sola enim conſtans, & perpetua eſt virtutis poſſeſſio: ſola expers viciſſitudinis: quam qui habet, non periculum timet, ſed dedecus. In externis contra bonis, nihil eſt non fluxum & caducum. id Æſopus vt oſtenderet, aſſeuerabat à Ioue nullam aliam, in hoc elementari globo tundi incudem, niſi vt continenter excelſa deprimeret, & depreſſa attolleret; nec quicquàm in terris pateretur ſtabile eſſe, & permanens, præter virtutem. Quare nunquàm verè fuit vir bonus, qui ſemel abduci à virtute potuit.

QVOD VIRIS BONIS NON SINT ſcriptæ leges, quia vltrò honeſtum ſequuntur. IIII.

ETSI apud Lacones, qui breui genere dicendi oblectantur, Rex Ageſilaus in primis laudatur: quia ex tempore, multa fundebat facetè, & acutè dicta, quibus ſolet audientium animos in quemcumq; volebat affectum trahere: hûc tamen vicit ſummus virtutis, & gloriæ Antiſtes ALDOBRANDINVS, cui ita breuitas dicendi ſuffragata eſt ad promerendum omnium

nium gratiam, vt boni viri omnes non modo eius dicto obtemperare videantur, ſed etiam ex eius præſcripto viuere. Sciſcitanti igitur cuidam cur leges ſcriptæ in bello impunè non ſeruarentur à Militè: quia reſpondit, cenſetur eſſe vir bonus, qui pro æquo, & bono pugnat: viro autem bono non ſcriptæ ſunt leges. Nam vltro quæ honeſta ſunt facit: nec vi aut metu cogi poteſt. Sicuti enim Arbor Iouis, Quærcus nec ope mortalium, nec cultura eget ad fructus pariendos: ita vir bonus ſanctimonia, ad benè beateq; viuendum paſtus, nec ſpe, nec metu legiſlatorum opus habet, ad virtutis, & gloriæ præſidium. apud eum enim, qui neq; lucrum appetit: neq; mortem perhorreſcit, nulla eſt aut metus, aut præmij auctoritas.

QVOD SVMMA SIT VIRTVTIS cum doctrina affinitas. V.

CVM de ſociorum inter finitimos populos fœdere ageretur, inter quos ſuſpecta erat nonnullorum fides, interrogatus fortè quam ſocietatem maximè probaret, virtutis reſpondit, cum intelligentia: quo reſponſo, perfidorum ſimul momordit inſcitiam, & fidem ſcitè laudauit bonorum. Nihil enim eſt aut virtus, in conſilij capiendi deliberatione, ſine intelligentia, niſi ingenij dedecus: aut intelligentia, ſine virtute, niſi animi infamia. Itaq; Seneca probitatem, & intelligentiam tanta affinitate conſtrinxit, vt vtramq; vno virtutis appellarit nomine. Atq; Socrates ad vtramq; cùm Principem inſtituit, ſic eum hortatur, vt caueat ne, aut deterior melioribus: aut ineruditior peritioribus imperet. Hæc quippè eſt naturæ lex, ſicuti Dionyſius Halicarnaſſeus aſſerit, omnibus communis, vt ſemper deterioribus imperent meliores.

QVOD VIRTVTIS SIT *Vincere non vinci.* VI.

CVM in tot rerum aſperitatibus ſit poſita hominum vita, vt ne vnius quidem horæ vſura, ei ad viuendum ſine angore, & ſtudio ſit conceſſa: interroganti cuidam quiſnam inter mortales omnium eſſet potentiſſimus, is dixit, qui habet virtutem. Nam virtuti omnia cedunt. graue quidem reſponſum: quod non ſententiæ modo, ſed etiam oraculi habet auctoritatem. Solus enim vir bonus ſibi ſufficit, & quamquam ei poſſunt prodeſſe homines, non poſſunt tamen obeſſe. Siquidem ea eſt virtutis vis, vt vir bonus omnia bona poſſit à ſummo rerum opifice capere: nulla mala poſſit accipere ab hominibus. non vulgaris eſt apud Homerum auctoritas. Nam quorſum quòd Bellerophon, vt eſt in fabulis, Pegaſum inſidens occidit Chimeram? certiſſimus eſt, ſi modo ſapimus, in virtutis imperio, malorum omnium interitus. pluris igitur eſt vir vnus bonus, quàm vniuerſi ſimul improbi. Nec opus eſt ad hanc rem ſapiente interprete. Nam quid eſt Bellerophon, qui alio nomine dicitur vir bonus, niſi monſtrorum domitor, atq; malorum omnium profligator?

QVOD EX VIRTVTE, IPSA *efflore ſcat Imperij fælicitas.* VII.

QVASCVMQ. in oras, regioneſq; controuerſiarum res delata eſt, ille vias omnes ingenij, artis, & doctrinæ ita tenet, vt diſceptationes non ſolum dirimat, ſed etiam diſceptantium animos conſtringat pari, & mutuò opinionis fædere. cùm igitur populus

pulus motu turbulento continenter agitaretur, nec ſolum Principi, ſed etiam ipſe ſibi grauis eſſet & infeſtus, multaq́; à multis rectoribus afferrentur remedia, Dixit ſine virtute, præſidia iacere omnia: nihil in populo à rectoribus præter virtutem eſſe affectandum. eò quòd eorum eſt, vt ait Socrates apud Platonem, ciues ſuos ad fœlicitatem perducere, ad quam nullus patet, niſi qui virtute aperitur, aditus.

QVOD VIRTVS NEQVE creſcat, neq; decreſcat. VIII.

CVM nulla ſit tam adulta Reip. peſtis, quam CLEMENTIS VIII. ſtudio, non ita ſuſtulerint iuſtitię adminiſtratores, vt ſtirps, & ſemen malorũ omnium radicitus videatur reſtinctũ, & deletum, ſciſcitanti Pontifici. cuius facta, inter eos maximè probaret: illius dixit, quibus nec addi, nec detrahi quicquàm ſine culpa poteſt. Vetus eſt Pythagoreorum ratio, qui dicebant malum infinitum eſſe, bonum verò finitum: in altero, errare eſſe facile, & expeditum: in altero arduum, & difficile metam attingere. Hoc ipſum ſentiens Bion, dixit tam apertam, & ſpatioſam eſſe ad inferos viam, vt etiam clauſis oculis, difficile eſſet de via aberrare.

QVOD BONO VIRO NIHIL SIT Similius Deo. IX.

NISI officiorum dignitas, virtutis corroboratur auctoritate, quædam eſt honorum inanitas: proinde ſciſcitanti aliquando CLEMENTI VIII. quod

in ad-

in adminiſtratione publici muneris, & officij maximè probaret, quæ Dei reſpondit, viua ſunt ſimulacra: non faſtu, ſed virtute illuſtres viros eſſe oſtendens. Hac ratione Antiſthenes aſſeuerabat virum bonum, pluris eſſe faciendum, quàm genere propinquum. Nam arctiora ſunt virtutis, quàm ſanguinis vincula.

QVOD VIR DOCTVS ALIIS: vir bonus ſibi magis conſulit. X.

CVM fortè in diſceptantes incidiſſet, qui vtrum vir doctus probo viro, an probus viro docto eſſet anteponendus, argumentis conflictabant: ſacietatem aurium vt inter eos, qui ſibi inter ſe rem acrem, & acerbam conſtituerant, vitaret, dixit hoc inter vtrumq; intereſſe, quod intereſt inter marem, & fœminam. Nam vir doctus alijs imperat: probus aliorum facit imperata, quorum alterum eſt viri, alterum fœminæ. Idipſum ſignificare, opinor, volentes Poetæ Apollinem Deum doctrinæ: Dianam deam fecerunt virtutis. accedit ad auctoritatem ratio. Nam qui malè intelligit non poteſt bene appetere: nec eſſe vir bonus, qui male appetit. huc pertinet, quòd vir probus ſibi tantum, doctus alijs etiam in adminiſtranda Repu. conſulit.

QVOD ARTIVM OMNIVM procreatrix, & magiſtra ſit virtus. XI.

CVM fortè de iuuentutis inſtitutione, & diſciplina ageretur, atq; ob id à quodam quæreretur. quodnam inter Italiæ Gymnaſia maximè probaret: non

quod

quod ornamentum habet marmoris, dixit, ſed virtutis. iacet enim in ijs regium etiam ædificium, niſi & probitatis, & ingenij adſit fabrica. Itaq; Plato, in Academiæ ſuæ primo ingreſſu, & veſtibulo inſcripſerat ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. hoc eſt, nullus Geometriæ ignarus hùc ingrediatur. virtutem appellauit Geometrię nomine, quia in æqua affectuū conſiſtit menſura: Hæc in diſcipulis comparandis potiſſimum requiritur. Nemo enim niſi magiſtra virtute, nouit doctrinam affectare. errat quippè et in benè factis, quicunq; modum, & menſuram negligit. Non eſt igitur tarditas ingenij, in diſcipulo, doctrinæ impedimentum, ſed magis morum vitium. Nam obtuſum, & hebes ingenium arte, veluti quadam cote poteſt exacui: acris vero, & ſubtilis ingenij acies non poteſt non vitio obtundi.

QVOD MIRA SIT BONORVM Virorum paucitas. XII.

QVONIAM ſi virtus vt ait Cic. ſua expreſſa cerneretur facie, mirabiles ſui amores concitaret, ſciſcitantibus, in amicorum conuentu, nonnullis, quæ forma eſſet virtutis, & ſtructura: ea, reſpondit, quæ Geryonis tricorporei eſt ſimillima. Corpus enim vnum habet doctrinæ, ad mala ea cauenda, quæ abdita ſunt & retruſa: alterum vero perſuaſionis, ad ea etiam hoſtibus ſuadendum, quòd ferrum neſcit exorare: vltimum obſequij, ad obtemperandum rationi. Hac ſententia non ſolum demonſtrauit, qui ſint, ſed etiam quàm pauci ſint viri boni. Recrudeſcit doloris hic morſus ex Romanorum auctoritate. Nam Bonorum diſcrimen, apud eos non ex vario, & multiplici hominum: ſed ex Deorum conſtituebatur gene-

ræ. Itaq; Auguſtus propter ſapientiam, Apollinis: Romulus, propter fortitudinem Martis: Hercules propter iuſtitiam, Iouis cenſebatur eſſe filius.

QVOD NVLLVS VIRTVTE uberior ſit Theſaurus. XIII.

HOC P. ALDOBRANDINI virtus affixit, hoc ſapientiæ eius gloria conflauit, vt ab eius dicto nefarium omnes eſſe putent, recedere. cùm autem in turba populari, videret à multis inopiam, à paucis vitium timeri: dixit virtutem armaturam eſſe aduerſus egeſtatem: non pecuniam. eò quòd virtuti fortuna: non fortunæ virtus ſuccumbat. nec falsò. Nam cur, apud Poetas, Hercules & Plutonem, & Iunonem, quorum altera honorum, alter diuitiarum Deus habebatur, vulnerauit? quia nihil eſt in bonis tam ingens, & magnum, quod non multò minus ſit virtute, cuius hoc loco perſonam induit Hercules.

QVOD RES OPEROSA, ET difficilis ſit virtus. XIV.

AFFINIS eſt culpæ, qui virtutẽ non norit, aiunt, de facie: interroganti igitur qualis eſſet virtus: quæſtionem dixit parũ habere honeſtatis, multum verò ſuſpicionis. expreſit tamen illam, per imaginem Dianæ, quæ in Chio de ſublimi ita ſpectabatur, vt ingredientibus horrida: egredientibus hilaris eſſe videretur, & iucunda. ſunt enim virtutum radices amaræ, & difficiles: fructus autem glorioſi & ſuaues. Non mirum eſt igitur à multis virtutis gloriam: à perpaucis virtutem diligi. Nam

illud

illud eſt conſilij tantùm: hoc plurimi ſtudij, & difficultatis. Nihil enim ſi Antiquitati fides habetur, pluribus vigilijs, & laboribus, quàm virtus paratur. Nam quorſum quòd, Heſperidum mulierum mala aurea, quæ Draco aſſeruabat, non niſi occiſo Dracone, ſublata ſunt ab Hercule? nihil conditius hoc cōmento, ad rem afferri poteſt. intercluditur enim virtus non modo plurimo, ſed etiam ſæuo, & immani affectu, qui ad virtutem accedentes, tanquàm Draco truculentiſſimus ſuis interdum abſorbet faucibus. Quoniam igitur non niſi graui certamine paratur virtus, ignauis omnibus ad virtutem clauſus eſt aditus.

QVOD VIRTVS MEDICINA SIT Senij. XV.

NEQ; gloria vnquàm improbis animum facit: neq; adimit infamia. quare nihil eſt hominibus improbis deſperatius. Siquidem nihil eſt in eos contumelia, niſi ſceleris augendi ſeges, & materia: nihil laudatio, niſi anſa in flagitiorum ſordibus perſeuerandi. cum igitur nihil peius diffluat cum ætate, quàm ſceleratus, conſueuit dicere, aduerſus ætatis labentis ſenium, ſummum in vna virtute eſſe remedium. virtus enim non ſolum non conſeneſcit: ſed etiam perennes viros facit. loquuntur id fabuloſè Poetæ, doctè tamen. Non enim ſine cauſa, apud eos Medea conſueuit è ſenibus iuuenes reddere. Nam qui ex errore inueterato reſipiſcit, is demum repueraſcit, nec adeò videtur veterem hominem exuere, quàm nouum induere.

QVOD

QVOD VIRTVS ARMATVRA SIT, quæ nec ferro penetrari: nec dolo poſſit ſurripi. XVI.

CVM fortè timidum in periculis ducem corriperet, iſq; ſe hoc commento tegeret, quòd non, vt Achilles, corpus haberet ab offenſione immune. tum ille, tot ſunt, dixit, Achilles hac noſtra etiam ætate; quot ſunt viri boni. habet hæc ſententia, ſine vlla vocis acerbitate, morſus in timidum quenq; acerrimos. Nam vt virtus non relangeſcit, ſed vireſcit vulnere: ita viri boni vìs corroboratur, non debilitatur offenſione. vetus eſt apud Homerum, rationis auctoritas. Nam cur ab Hercule, quò magis Antæus ad terram erat depreſſus: eò attollebatur eminentius? non eſt aſpernenda fabula. Nam is demum eſt vir bonus, qui nouit ex depreſſione attolli: atq; ex incommodis commoda capere: malaq; omnia lucro habere.

QVOD VIRTVS LORICA SIT aduerſus timorem. XVII.

FIRMISSIMA perturbationum omnium cautio, in virtute eſt fundata. Nam virtutem qui habet, poteſt in periculis timeri, non põt timere. Cùm igitur cuidã timido, in ipſo belli incendio, nullum armorũ genus ſufficeret: quæſitum eſt, ſedata pugna, num etiam aduerſus timorem, quis poſſet armari: certè reſpondit. Nam vmbonem qui habet Palladis, immunis eſt ab omni turpitudine timoris. eo armatus Perſeus ad Gorgones euolauit, quæ erant tres Sthenio: Euriale, & Meduſa: Magna eſt, vt patet hoc fabulæ argumento, virtutis commendatio.

Etenim quæ tria mortalibus terrorem incutiunt malorum genera: contumelia ambitioſis: paupertas auaris, & infirmitas voluptuoſis, illa vltrò ſæpè à bono viro virtutis ergo appetuntur, nunquàm refugiuntur.

QVOD NIHIL SIT VIRTVTE Clementius. XVIII.

NIHIL grauius ſolet quàm caſum, atq; orbitatem virtutis, in afflicto religionis imperio deplorare: nec benignius quicquàm, quàm in viam redeuntes, excipere. Hùc etſi omne eius ſpectat conſilium: vt tamen cōſilij ſui laudem tegeret, conſueuit dicere, homini eſſe facillimum alteri conſilium dare: ſapere verò difficillimum. Magna verò, & de cœlo vox ea viſa eſt. Nam omnes ferè bene ſentiunt: nemo autem rectè agit, niſi ſapiens. nihil enim eſt ſapientia, vt videre eſt apud Euripidem, niſi lampas Dei, qua non ſolum nox obſcuriſſima fugatur ignorantiæ: ſed etiam improbitatis pelluntur omnes tenebræ. Neq; alia de cauſa Phæbo, apud veteres Cithara, & plectrum tradebatur, niſi vt oſtenderent, ſapientis eſſe rebus omnibus conſonare, atq, abſona vniuerſa in ordinem, & concordiam reducere.

QVOD VIRO BONO NIHIL SIT Grauius iactura operæ, & ſtudij. XIX.

CVM nihil fructuoſius ſit virtute, interrogatus aliquando à CLEMENTE VIII. quid viris bonis maximè diſplicerct, quod fruſtra fit reſpondit. habuit hæc eius reſponſio non minimum, aduerſus ſordidorum

rum

rum auaritiam, qui nihil in beneficos rependunt, acrimoniæ: plurimum ad commendandam admirabilem ſummi Pontificis liberalitatem, ingenij, & acuminis. Plus quippe eſt mali in iactura laboris, quàm in ipſo labore. annumeratur enim hæc inter ſummos, apud inferos cruciatus. Nam cur, vt placet Poetis, aut Siſyphus Æoli filius, propter hoſpites interemptos, hanc luit pænam, vt relabentem ſemper ſcopulum, ad verticem montis cogatur reuoluere: aut Belides, propter viros necatos compelluntur perforatis vrnis, aquas perpetuo haurire? vt certe hoc commento attendatur, quod fruſtra fit, id non laboris habere aſperitatem, ſed operis infamiam, & cruciatus atrocitatem.

QVOD BONI VIRI ADVERSVS Improbos mitte ſit iudicium. XX.

CVM ille nihil aut ſentiat, aut dicat, quod non ſummo conſenſu, atq; aurium comprobatione, ab omnibus hauriatur: tum ſciſcitanti aliquando Iudici, qualis deberet eſſe delicti pœna: qualis, reſpondit, eſt iuſtitiæ ſtatera. Graue quidem, & miti ingenio dignum reſponſum. In Iuſtitiæ .n. ſtatera ponderis plus habet beneficiũ, quàm maleficium. Itaq; Perſæ nunquam ante ſolent quemquam iudicio capitis damnare, quàm diligẽter eius mores perpenderent, exiſtimantes magis eſſe contra naturæ ius virtutem præmio, quàm peccatum ſupplicio vacare. illud igitur iuſtè ſumitur de delinquente ſupplicium; quod medicina potius videatur delinquentis, quàm pœna.

QVOD EX VIRTVTE OMNIS exulet calamitas. XXI.

HABVIT ſæpe id in ore, & ſermone, ab vna virtute ſolum omnia excludi malorum genera: nec miſerum eum eſſe poſſe, qui aduerſus temporum iniuriam, circonſeptus ſtipatuſq; teneretur virtute. vetus item hæc olim fuit Imperij Romani diſciplina. Nam ad quid in numo Gordiani Imperatoris virtus effingebatur maſcula, imagine ſenis, barbati: nudi: ſtantis: claræ innixi: exauium Leonis brachio reuolutum tenentis? docet hæc imago, quæ beneficia ſunt virtutis, quam qui habet, ſtatim redditur fortis: ſapiens: ſolers: vtilis: honeſtus: atq; aduerſus omnes rerum aſperitates armatus. Nihil enim eſt virtus niſi Clypeus Achillis, qui à Vulcano fabricatus, nec ferro penetrari, nec dolo ſurripi poterat.

QVOD SOLA VIRTVS HONOREM ſibi vendicet. XXII.

CVM Animaduerteret neſcio quem, dignitate elatum, qui magis virtutis gloriam anhelaret, quàm virtutem: dixit honorem non dignitatis eſſe præmium, ſed virtutis: atq; gloriam omnem ſine virtute, reddi ignominioſam. Id non minus doctè, quàm eleganter. Nam extra virtutem nihil eſt, quod verè poteſt laudari. Nec enim ſumma laus eſt regni, ſed virtutis. Hoc Romani, vt oſtenderent, virtutem Deam: non Regnum Deum fecerunt. Nec ſine conſilio. Nam qui virtutem violat, Deum videtur violare: & qui virtuti paret, Deo cenſetur parere. Nullus igitur eſt maior, quàm virtutis in bono viro, triumphus.

QVOD RES SIT ADMIRABILIS *Virtus*. XXIII.

SCISCITANTI cuidam quid in terris maximè eſſet admirabile. virtus ait, quæ facit vt mæreat quis in voluptate, & exultet in angoribus lætitia. Hoc ſentiens Ariſtippus aſſeuerabat nihil ſolem vnquam vidiſſe admirabilius viro bono. Nemo enim eſt vir bonus, niſi qui quaſi viuat in corpore mortuo. quod cùm animaduerteret Plato, viros bonos non mortales, ſed mortiferos vocabat. externa enim mala, quæ ſunt aut corporis, aut fortunæ, ſic deſpiciunt, vt videantur in ijs nullum ſæpe ſenſum habere doloris: aliquem ſemper iucunditatis. Hoc vt docerent Ægyptiorum Sacerdotes, virtutis Hieroglyphicum os amygdali fecerunt. eſt enim id pluribus veluti ſtigmaticis notis, & cicatricibus redundans: eiuſq; arbor clauo infixa fertilior redditur: nucleus verò, amarus præſertim, ebrietati maximè reſiſtit: atq; quod maximè eſt admirabile, arboris eius cortex cùm amariſſimus ſit: ſuauiſſimos tamen fructus edit. ex quo non difficile eſt colligere eos, qui mala refugiunt aut corporis, aut fortunæ, ita à virtute eſſe ab alienatos, vt nullum ſenſum, aut guſtum virtutis videantur habere. Nam bona animi, in malis externis potiſſimum hærent infixa.

DE RELIGIONE TITVLVS TERTIVS.

NIHIL eſt Religio, niſi imperij vexillum. Nam cum religione creſcit, & decreſcit imperium. vt enim iuriſprudentia publicæ vtilitatis: ita religio ars eſt, & ſcientia communis vitæ, & vniuerſæ ſalutis. itaq; in imperij inſignibus, vt aſſerit Herodianus, præcipuum fuit religionis. Nam quorſum, etiam apud Romanos ignis ille Regibus, & Imperatoribus, haſta in ſartagine prælatus? habet ignis hoc loco non elementi, ſed religionis, qua virtus omnis vehitur, interpretationem. Petitum autem eſt hoc inſigne à Chaldæis, qui, vt ſcibunt Græci, ignem numinis vice coluerunt. Exiſtimabant enim nulla re magis Religionem, quàm igne poſſe figurari. quia ignis è cœlo miſſus, continenter in cœlum tendit: atq; elementum cùm ſit, non tamen vt cætera Elementa, putreſcit, aut vllis contaminari poteſt ſordibus: ſed ſemper viget cum cœli leuitate: nunquàm ſine ſplendore, quo obſcuriſſimæ noctis pelluntur tenebræ. Magna verò olim Romanorum gloria, qui Rei bellicæ multum, non parum Agriculturæ: Religioni omnia tribuebant. Et ita, vt in religionis errore, viderētur quaſi erroris dedecus, in ſtudij decus, & ornamentum commutare. At in Ampliſſimo Cardinali P. ALDOBRANDINO alia eſt religionis gloria: multo diſpar pietatis ratio. Hunc qui intuetur, non adumbrationem intuetur religionis: ſed ipſam omni virtutum comitatu ſtipatam, Eccleſiæ Romanæ religionem. Hic in Ampliſſima illa legatione, qua Regis Catholici PHILIPPI III. & MARGARITÆ honeſtauit nuptias, vbi

vbi Senatum Mediolani reguſtauit,in quo non ignis,vt olim apud veſtales virgines,coruſcat interpres, & nuncius religionis: ſed ipſa omni virtute, aucta & cumulata religio, apertè palamq; cæpit Reginæ de tanto Senatu gratulari. Nec falsò id quidem. Etenim nunquàm Theopompus Spartanorum Rex meliores habuit Senatores: quàm Mediolani habet Rex Regum PHILIPPVS. Nam,vt Gubernatori in alto curſus ſecundus: medico, ſalus: Imperatori victoria: ita ſacroſancto huic ordini,beata ciuium vita eſt propoſita: nec quicquam molitur, niſi vt ciuitas ſit opibus firma: copitijs locuples: gloria ampla, & virtute honeſta. Harum virtutum adumbrationẽ, Rex Theopompus cùm, in ſuis Senatoribus, animaduerteret: tantum illis tribuit, vt Ephoros inſtituens, magnam partem regni illis adiunxerit,cum ſumma auctoritate imperij: at Regis vxor id ægrè ferens, quòd regnum anguſtius relinqueret liberis: imò latius,atq; firmius reſpondit ſe relicturum.Conſilio enim,ſapientia,& auctoritate Senatus: non potentia, & viribus magnitudinem regni definiebat. ad magnam igitur Regis Catholici gloriam ſpectat Senatus Mediolan. Hic enim ius ſumma ſemper definiuit religione: religionem tot virtutum dotibus locupletauit: tanta ſcientiarum omnium dignitate honeſtauit, vt in religione non ſolum iuris, ſed ẽt iuſtitiæ obſes eſſe videatur, & pietatis. Hoc animauertens ipſe legatus ALDOBRANDINVS, non ſolum optime ſenſit, ſed eum prædicauit de ſapientiſſimo eo ordine. Nam Deum,qui ſequitur, non poteſt quod turpe eſt non refugere: non voluptates non contemnere: non labores non appetere: non deniq; omnia diuinæ voluntati poſpoſita habere. Multa ſunt tanti Antiſtitis de religione ſapienter dicta & reſponſa, ex quibus,pauca excerpſi: quorum ſeries, & numerus hic eſt.

1 *Quòd Principi norma Imperandi ſit religio.*
2 *Quòd felix fluat ex religione rerum omnium euentus.*
3 *Quòd ſicuti corpus ſine anima: ita contabeſcat ſine religione Imperium.*
4 *Quòd nullo poteſt populus offenſionis timore inclinari, vbi Princeps eſt religioſus.*
5 *Quòd Maxima ſit in Religione, Principis gloria.*
6 *Quòd Religio lampas ſit rerum agendarum, & vitandarum.*
7 *Quòd homo ſine Religione nomen amittat hominis.*
8 *Quòd nihil ſit clementius religione.*
9 *Quòd donum tantum ſit Dei rectè imperare.*
10 *Quòd nullum ſit belli firmius, quàm religio præſidium.*
11 *Quòd neq; iners, neq; infructuoſus, neq; ſenio obnoxius ſit religioſus.*
12 *Quòd nihil ſit renitentius religioni, quàm voluptas.*
13 *Quòd religio requirat, & corporis, & animi ſimul obſequium.*
14 *Quòd ſine religione infeliciter cadant omnia.*
15 *Quòd nec tempus, nec locus vllus vacare debeat religione.*
16 *Quòd religionis cauſa, nihil homini graue videri debeat.*
17 *Quòd nihil ſit in terris, quod non oleat vim numinis.*
18 *Quòd religioſus viuat tanquàm in corpore mortuo.*
19 *Quòd res ſalutaris magis ſit, quàm iucunda religio.*
20 *Quòd Religionis non obſeruatæ, nulla ſit excuſatio.*
21 *Quòd ſine religionis gradibus nullus ſit in cœlum aſcenſus.*
22 *Quòd religionem qui deſerat, omnia bona deſerat.*
23 *Quòd Religioſus bono viro ſit melior.*
24 *Quòd Regium ſit magis religioni obedire, quàm hoſtibus imperare.*

QVOD PRINCIPIS NORMA Imperandi ſit Religio. I.

CVM Princeps ad imperandum in Dei Opt.Max. locum ſit ſuffectus, quem ſequi nemo poteſt, ſine religione, conſueuit dicere Principem tribus de cauſis, nihil magis oportere, quàm religionem ſpectare. primum quia homo eſt: deinde quoniam Dei miniſter: tum quia rector eſt reip. & publici conſilij auctor. Homo enim particeps eſt rationis,cuius bonum, quia non eſt quoddam ſingulare, ſed commune bonum: felicitatem ſuam non debet,in priuato aliquo, ſed in publico bono collocare: hoc eſt in Deo Opt. Max.Eſt autem Dei miniſter, quia à ſolo Deo, non ab ipſis hominibus, rerum bene geſtarum mercedem expectat: atq; quoniam ſolus Deus regit omnia, non poteſt ante regere, quàm videatur Dei immortalis partes ſibi aſciſcere. Rector deniq; cùm ſit communis vitæ, & procurator publicæ ſalutis: non ſatis eſt principem eſſe bonum: ſed alios etiam debet bonos reddere, quod item vno fit religionis præſidio, quando nemo ſit bonus, aut potius non ſceleratus, qui deſciſcat à religione.

QVOD FELIX FLVAT EX Religione rerum euentus. II.

RESPIRAT in inclinata fortuna, vbi Principem videt religioſum, populus. Nam Religio in principe ars eſt, non ſolum orandi: ſed etiam exorandi quod volet à Deo. Quocirca pronunciauit aliquando ſapientiſſimus ille Antiſtes, in religione maximam commendationem eſſe Principis. Nam princeps videtur

tur populi refugere obſequium, qui Dei negligit imperium. Quare ALDOBRANDINVS ita rebus diuinis animũ habet intentum, vt cùm aliquid ſit commendandum, precatione: cùm expoſcendum, voto: cùm exoluendum, gratulatione, cùm deniq; inquirendum, ſolenni ritu ſacrificium peragat.

QVOD SICVTI CORPVS SINE Anima: ita ſine religione contabeſcat Imperium. III.

NIHIL imperium magis lacerat, & laniat, quàm quod vulnus religioni infligitur. hac ratione dixit aliquando, neq; pecudes à pecude, ſine paſtore: neq; homines ab homine, ſine Deo duce, regi poſſe, & cuſtodiri. fruſtra enim princeps excubare animo videtur, niſi ſapiat plus, quàm homo: hoc eſt, niſi in religione vim retineat Numinis. Hoc ipſum vt doceret antiquitas, Herculem, & Æneam, quorum alter apud Græcos, alter apud Latinos fundamenta iecit Imperij, ſobolem fecit Deorum, ſimul & hominum.

QVOD NVLLO POTEST POPVLVS offenſionis timore inclinari: vbi Princeps eſt religioſus. IV.

EX religionis domicilio omnis exulat iniuria: in eaq; non inquilina eſt iuſtitia: ſed habitandi domina. itaq; cùm de iuſtitia principum ageretur, reſq;, vt aiunt inter incudem, & malleum caleret, tum interroganti cuidam quiſnam iuſtus eſſet princeps,

qui, reſpondit, religioſus eſt. Nam Deus, vt ſcribit Plato lex eſt vniuerſalis, & iuſtitia diuina, quam qui ſequitur ducem, nunquam ab æquo, & bono aberrat.

QVOD MAXIMA SIT IN RELIGIONE Principis gloria. V.

NON ſolum imperij initium à Religione ordimur: ſed etiam omnes eius ſenſus religioni tribuimus, qua vna detracta, & princeps videtur eſſe ſine imperio, & imperium ſine Principe. Quare interrogatus aliquando, quid Principem maximè commendaret & Deo ſimul, & populo? religio dixit. Bene enim audit, qui Deo paret: atq, cuncti eius dicto obtemperant, & fidei ſe committunt. Hæc igitur virtus Numam Pompilium, ex priuato, & quaſi ruſtico homine, Romanum Regem conſtituit. Hic enim ab Egeria Nympha, credebatur deorum conſilia capere: atq; iccirco illi, nefas eſſe non omnes gentes obtemperare. Nihil autem eſt in Imperio firmius religione. Nam vt de natura Deorum ſcribit Cicero, pietate erga Deum ſublata: neceſſe eſt fidem, & humani generis ſocietatem tolli: atq; iuſtitiam ſimul virtutum reginam reſtingui, & deleri. Doctè igitur ille Maro, Æneam cùm in cœlum ſuo effert encomio, ſola pietatis laude, cæteris præfert ducibus. Nec magni aliquid illum agere inducit, niſi propiciatis numinibus, peractiſq; rebus ſacris.

QVOD

QVOD RELIGIO LAMPAS SIT *rerum agendarum, & vitandarum. VI.*

QVI Religioni derogant, pennas virtutum incidunt, nec eas volunt renaſci. Quare quæ in cœlum euolant, cadere omnes virtutes ſine religione neceſſe eſt. cùm igitur ſermo incidiſſet de multis, & varijs ſapientiæ Gymnaſijs: tum fortè cuidam interroganti quænam optimæ eſſet doctrinæ ſchola. Religio dixit. Eſt enim hæc lampas veritatis, qua & futura quæ ſunt, & præterita, & exiſtentia illuminantur. Quare ex ea olim collegium apud Romanos Augurum conſtitutum eſt. Nam Augurio, & coniectura periti, futura multa prædicebant. ſine Religione vetuſtas neq; conſilium capiebat: neq; ferebat iudicium. Hùc pertinent apud Ægyptios, Sacerdotes: Druydæ apud Gallos: Magi apud Perſas, vt de rebus vniuerſis, pro religione ſtatuerent. Tanti quippè ad res omnes apud eos fuit Religio, vt neq; in Ægypto fierent Reges, niſi ex Sacerdotibus: neq; apud Perſas, diadema ante geſtarent quàm Magi fuiſſent.

QVOD HOMO SINE RELIGIONE *nomen amittat hominis. VII.*

QVONIAM hominum benignitas, in religione exhauſta redundat ſummis, ac propè diuinis bonis: lege contrariorum, nihil eſt eo in omnibus bonis miſerius, qui aut religionem amittit, aut religioni fucum facit. Id cum ſentiret virtutum ille faber, & Architectus, dicebat hominem eſſe Dei templum. proinde illum qui à Deo recederet, nomen amittere hominis. eſt enim

homo

homo ad Deum obſeruandum natus, quòd & forma corporis, & animus ipſe indicat. illa propter celſitudinem: hic propter quandam, qua alitur diuinitatem. hinc diuinũ illud oraculũ, quod pro foribus Delphici tẽpli, ſcriptũ fuit γνῶθι σε αὐτόν hoc eſt, cognoſce te ipſum. præcipitur enim nobis vt diuinitatem, quæ in vobis, cũ Deo habitat immortali, dignoſcamus.

QVOD NIHIL SIT CLEMENTIVS Religione. *VIII.*

CVI res eſt cum homine religioſo, nec re, nec fama poteſt comminui. dicebat itaq; etiam in malis benè eſſe ſperandum à Principe religioſo, cùm nihil ſit religione clementius. idipſum vetuſtas, vt doceret, nolebat Deorum ſimulacra, neq; ex lapidibus, quando duri ſunt: neq; ex auro & argento, quando metalla ſunt inſidioſa, effingi: ſed potiſſimum ex ligno, quod ad cultum, & paſtum potiſſimum mortalium ſuccreſcit. hac opinione ductus Plato, in libris de legibus, non licere ait, ex auro, & argento, & lapide ſpectra deorum effingere. vincit enim vir religioſus non vi, non dolo, ſed ferendo. ita Numæ tempore, qui omnium fuit Religioſiſſimus, Iani templum tres, & quadraginta annos, quibus regnauit, continenter clauſum manſit. Summa enim eſt victoria, diſceptationes hominum: non homines de medio tollere.

QVOD DONVM TANTVM SIT Dei rectè imperare. *IX.*

SI quanta ſit imperandi vis odorere, & deguſtes: animaduertes Imperium omne, non ad hominem: ſed ad Deum eſſe referendum. Nam rectè imperans

homi-

hominibus, malè Deo diſplicet: nec difficilius quicquàm eſt, quàm modum in imperando tenere. interrogatus igitur, quis benè imperaret: qui reſpondit vim habet numinis. Sic ipſe ſenſit Homerus: docuit enim neminem rectè imperare poſſe, niſi cui Deus imperium deſtinarit. itaq; Principes à Deo petendos ſacrificijs, litationibuſq; eſſe aſſeuerabat. Nam vt Samius Ægyptius Philoſophus aſſerit, Principatum inter mortales gerere, diuinum quoddam munus exiſtimandum eſt.

QVOD NVLLVM SIT FIRMIVS belli, quàm religio præſidium. X.

CVM quis geſtiret ſcire, qua arte aduerſus armatos, hoſtes pararetur victoria: religionis dixit. præclarum,& tali tantoq; Antiſtite reſponſum. Deus enim nō ſolum iuſtus eſt, ſed etiam iuſtitiæ propugnator. Quare Homerus Nemini Coronas: ſed belli præſidi Deo tribuit. In ſacris quoq, certaminibus apud Romanos, non victor, ſed victoris patrij Penates, Genijq; ſolent coronari: quia & Triumphantibus dabantur coronæ, vt eas in templis,dijs victoribus dicarent.

QVOD NEQ; INERS, NEQ; infructuoſus, neq; Senio obnoxius ſit homo religioſus. XI.

QVONIAM pietatis cura ſolers, & diligens viri religionem declarat: non ſqualor, non pullulatus indumenti color: ſed publici commodi amor, & honeſta vitæ ratio: ſolitus eſt dicere eum,qui religionem tollit, ſolem è mundo tollere,quod item

in

in ſacris ſuis literis, Ægyptiorum Sacerdotes viſi ſunt ſentire. Nam cur apud eos, vir accipitris caput habens, toga talari indutus religionis ſtatuitur hieroglyphicum? quia primùm hęc ales acerrimum habet ſenſum oculorum. Cum enim totus ſit oculus Deus, maximè oculata oportet ſit religio: eſt deinde volatus celerrimi: neq; enim Deus, neq; vir religioſus ad benè agendum patiens eſt moræ: hæc deniq; ſolet, vt ſol quotidiè repueraſcit, ita ſenectute depoſita, renouari. Neq; enim Deus, neq; religio ſuccumbit ætati. eſt præterea hæc Ales fæcundiſſima. Siquidem ſicuti nihil eſt feracius ſole, qui auctor, & opifex eſt eorum omnium, quæ è terris gignuntur: ita religio magiſtra eſt, & domina earum rerum omnium, in quibus humani generis felicitas eſt poſita.

QVOD NIHIL SIT RENITENTIVS Religioni, quàm voluptas. XII.

CVM nemo obrepere poſſit, malis artibus ad religionem: ſitq; viris bonis integritate, & tolerantia ad pietatem religionis ſociam, iter aperiendum: conſuenit dicere, nullam Religioni capitaliorem peſtem poſſe infligi voluptate. Nec id falſo quidem. Nam cur Æneas, vt eſt apud Poetam, non potuit videre Deos Troiam euertentes, cùm ipſe Troiæ propugnationem ſuſcepiſſet? quia certè quidem, dum quis voluptatum lenocinia tuetur, is ſceleris amentia occæcatus, religionis lumen amittit, quo maximè dij obſeruantur: atq; homines ſimul à Principe iuuantur. Hùc item pertinet, quòd Æneas, vt eſt pariter apud Poetam, pollicetur & Apollini, & Dianæ templa ſe erecturum. Nam ſi bene attendimus, religionis vis in Principe conſtat ex duplici rerum obſeruatione, diuinarum vna, quam Apollo: humanarum, altera quam Diana adumbrat.

QVOD RELIGIO REQVIRAT, ET *corporis, & animi ſimul obſequium.* XIII.

ETSI religio in intimis animi ſenſibus magis habitat: quàm foris in ore, & oculis hominum: ſuntq́; nonnulla religioſa, quæ non videntur, & contra quædam videntur, quæ minimè ſunt: dixit tamen Religionem æque corporis, atq; animi obſequio eſſe depaſcendam: quæ ſententia rationi eſt tam conſentanea, quàm quæ maximè. Nam ſi antiquitatis auctoritatem conſulimus, quorſum duo illa, ex diuino quodam præſcripto, altaria, in templo Salomonis: quorum vnum foris ad animantium ſacrificium: alterum intus aureum, in quo Thymiamatis offerebatur incenſum? religionis id, niſi præ ſtupore guſtum amiſimus rationis, ſapit perfectionem, quæ in nobis duo conſtituit Altaria, vnum corporis, alterum animi: quorum alterum foris ſpectatur expreſſum, alterum intus tenetur clauſum.

QVOD SINE RELIGIONE *infeliciter cedant omnia.* XIV.

VBI de calamitate labentis, apud Gallos Imperij, dubium quoddam excitaretur, quod non paucis quæſtionibus, multis etiam argumentorum laqueis tenebatur obſeſſum, id omne vno ſuſtulit verbo. dixit quippè Regna, cum religione facillimè cadere. Eſt enim religionis contemptus, non ſolum obſes improbitatis: ſed etiam ærumnarũ, & calamitatis. ea igitur neglecta, omnia ſtatim obſoleſcunt gloriæ, & fœlicitatis inſignia: inſurgitq́;

inſurgitq; contra diſcordiarum fax, & furia, atq; periculi nunquàm antè expectati peſtis, & eluuio. Non vulgare, apud veteres, eſt teſtimonium. Nam cur Aper Calidonius Oenei vineam vaſtauit, ob Dianæ cultum ab Oeneo ſpretum? quia nulla vnquam etiam adulterina religio, neq; culla eſt ſine præmio, neq; neglecta, ſine dedecore, & detrimento.

QVOD NEC TEMPVS, NEC LOCVS vllus vacare debeat religione. XV.

QVIA & vbiq;, & ſemper eſt Deus: dicebat neq; locum, neq; tempus vllum debere Religione eſſe vacuum. hoc ſentire, aut potius ſignificare, vt viderentur Perſæ, non vt cæteræ gentes, erexerunt dijs templa: ſed vniuerſum mundum, templum voluerunt eſſe Dei immortalis. eſt enim globus hic omnis Elementaris religioni Sacer: nec angulus vllus vacuus eſſe debet ſanctimonia, & pietate. Nec aliam ob rem, puto, ſolem cui vix mundus ſufficit, pro Deo colebant: niſi vt oſtenderent nullas eſſe tam remotas oras, nullos eſſe mundi tam retruſos ſinus, qui cenſerentur religioni, & pietati eſſe clauſi.

QVOD RELIGIONIS CAVSA NIHIL homini graue, & acerbum debeat videri. XVI.

CVM omnibus iniuriæ telis, maximiſq; malis obiecta ſit hominum vita: interroganti quæ mala ferenti eſſent facilia, quæ feruntur dixit, religionis cau-

ſa nihil enim fit grauatè, quod pie, ſanctéq; fit. id puto, vt mortalibus teſtatum Druidæ relinquerent, humanas hoſtias aris admouebant. Non enim eſt religioſus, cui vita, quàm religio eſt carior.

QVOD NIHIL SIT IN TERRIS *quod non oleat vim Numinis.* XVII.

QVI in omni rerum genere, non animaduertit, vim quandam numinis reſidere: is nulla alia, niſi ſtiporis, poteſt vti excuſatione. Solitus eſt igitur dicere, ſicuti non maiora ſunt in Tauro, monimenta naturæ, quàm in Culice, ita æquè in rebus paruis, atq; in magnis, numinis vim eluceſcere. Nec id quidem falſo. Nam cur, apud Ægyptios, qui omnium fuerunt ſapientiſſimi; Apis, Ibis, Crocodilus, atq; vt alia moſtra animalium ſileam, cæpæ, & Allia religioſiſſimè colebantur? non quia illos ea infatuarat opinio, vt numina illa eſſe crederent; Sed vt docerent, cum Deus ſit rerum omnium vniuerſitas, fas eſſe bono viro, etiam in rebus infimis, quandam diuinitatem numinis reguſtare.

QVOD RELIGIOSVS VIVAT *quaſi in corpore mortuo.* XVIII.

EST in verbis malè intelligendis, mendum peruagatum, atq; cum Morbo ingenij, & turpitudine, per omnes quaſi ſcientiarum regiones peruagatum. Sciſcitanti igitur quis eſſet religioſus, qui, reſpondit, ex voluptate ad virtutum omnium

aſperi-

aſperitates eſt relegatus. Nam cùm nihil ſit religio, niſi veluti quædam conſociatio cum Deo: qui ad religionem accedit, ab omnibus ſenſuum lenocinijs, & corporis voluptate recedat oportet. Quocirca Religio, non temerè à relegando eſt dicta: quæ nihil eſt niſi veluti quædam ex vitæ huius illecebris relegatio, & emandatio.

QVOD RES SALVTARIS MAGIS ſit, quàm grata Religio. XIX.

INTERROGANTI cùm nihil ſit melius religione, cur religioſis ſæpe exitioſa fuerit religio: quia reſpondit, veritas ſemper prodeſt auſcultantibus: nunquàm fero non nocet liberè dicentibus. ſic Aſcalaphus, vt eſt in fabulis, quia quod res erat, dixit, in Bubonem auem funeſtam, & triſtium rerum nunciam à Proſerpina iccircò eſt mulatus, vt intelligamus reme ſſe honeſtam: ſed cum triſtitia coniunctam veritatem. Teſtis eſt Religioſorum cruciatus, qui ſemper, quæ vera potius, quàm quæ grata ſunt, maluerunt loqui.

QVOD RELIGIONIS MINIME obſeruatæ nulla ſit excuſatio. XX.

QVONIAM ſatius eſt vitam, quàm religionem deſerere, nullam dicebat eſſe, non obſeruatæ religionis excuſationem. Mori enim honeſtè licet: non licet niſi ſcelerate à religione recedere. Huius igitur criminis cautionem, vt afferret Ly-

curgus, paruarum rerum ſacrificiá inſtituit, ne excuſationi, vllus relinqueretur, in quo conſiſteret locus.

QVOD SINE RELIGIONIS gradibus, nullus ſit in Cœlum aſcenſus. XXI.

QVEMADMODVM Ruſtici, vt eſt in fabulis, in Ranas à Diana ſunt commutati: ita ij ex Ranis, vel ex coaxantibus hominibus potius religionis ergo, inter viros ſunt euecti. dicebat igitur religionem virtutē eſſe alatam, quā qui eſſet præditus, nullo negotio, in cœlum euolaret. Nec id minus ſalſè, quàm prudenter. Nam cur Ægyptiorum Sacerdotes altare fecerunt Hieroglyphicum religionis? vt cum dictum ſit altare ab altitudine, oſtenderent, eſſe hominis religioſi, quæ cœli domicilia alta ſunt petere: non vt cætera animanlia in infimo hoc globo tabeſcere.

QVOD RELIGIONEM QVI deſerat, bona omnia deſerat. XXII.

CVM tanti Antiſtitis verbis florens, & arte ſonans ſit omnis ſententia: tum hæc in primis plurimum mihi videtur habere ornamenti, & ponderis: quā pronunciauit religione deſtitutum, deſtitui omni, quod à Deo eſt petendū, ſuffragio. Nec enim Deum, ſi ab eo bona roget is, videtur præcari, ſed Imprecari. Hùc pertinet Miluus ille Æſopicus, is enim morbo, & inedia affectus, atq; afflictus cùm eſſet, eòq; ſpem nullā, apud amicos, videret ſalutis

matrem

matrem rogauit, vt à Ioue vitam, ſi non optimam, at aliquam implorarer: cui mater ingemiſſens, dixit Iouem orare licere, at à Ioue aliquid exorare non licere, cuius ſacra & aras toties rapinis contaminarit. ſic enim cautum eſt legibus, vt fruſtra is pietatem imploret, qui iura violarit pietatis: nec par ſit clementiæ beneficia eum ſentire, qui contra ius faſq; non veritus eſt clementiam lacerare.

QVOD RELIGIOSVS BONO VIRO ſit melior. XXIII.

CONSVEVIT dicere Religioſum viro bono eſſe anteponendum. Maiorem enim quaſi affinitatem habet is cum Deo, quàm hic cum hominibus: quando diuina virtus plus, quàm humana habet ponderis: arctioraq; ſint religionis, cum Deo, quàm ſanguinis cum hominibus vincula. Cuius rei cum apud antiquos non obſcura ſint teſtimonia: tum magnum eſt, in re parua L. Albini exemplũ. is enim obuius factus in itinere Veſtalibus, vxorem & liberos viam pedibus peragere iuſſit, vt veſtales currui ſuo imponeret, nec mirum. multo enim præſtat virtuti Religio. Nam virtutis præmium eſt honor tantùm: felicitas verò, ac beatitas religionis.

QVOD REGIVM SIT RELIGIONI Magis obedire, quàm hominibus Imperare. XXIIII.

CONSILII res eſt, & pietatis religio; non laboris, non ſumptus: ſed obſeruantiæ, & amoris. Quoniam autem ruit ius omne, ſine religione, ſciſcitanti, quid

primum curare deberet Princeps, Religionem dixit: quid ſecundum, ne ea reſpondit, quæ religioni debetur, deſeratur obedientia. Comprobant id vnum Æthiopum Reges, qui vſque ad Ptolemæi Regis Ægypti tempora, geſtiebant non naturæ, ſed religioni vitam reddere. Quare conſueuerunt, cùm ſibi à Sacerdotibus Iouis denunciatum eſſet, Deo inuiſam eſſe eorum vitam, non modo non grauate, ſed etiam vltro, ac libenter mortem ſibi conſciſcere: nec vllus inter eos eſt inuentus, apud quem pluris haberetur vita, quàm prompta, & expedita, erga Sacerdotes, obſeruantia, qua depaſcenda eſt religio.

D E

DE PRVDENTIA TITVLVS QVARTVS.

CVM Agamemnon Mycenarum Rex diceret decem Neſtores, ad expugnationem Ilij ſufficere, totam Græciam armatam non ſufficere: non adeò id viſus eſt dicere, quàm ſummam ac ſingularem P. ALDOBRANDINI prudentiam figurare. habet enim eius virtus non ſolum in pace ornamenta ingenij, & doctrinæ: ſed etiam in armis, firmamenta communis vitæ, & publicæ ſalutis. Itaq; DIDACVS Salazar Magnus Inſubriæ Cancellarius, ita conſueuit de admirabili eius ſapientia prædicare, vt in laudatione prudentiſſimi Principis, videatur prudentiæ peritiſſimus. Nam ſicuti olim, apud Thebanos marmorea Memnonis ſtatua ſpectabatur, quæ ex Solis Orientis appulſu, cum omnium admiratione, voces humanas redderet: ita ſapientiſſimus ille in Imperio, iuris & iuſtitiæ moderator, tanquam viua ſanctimoniæ imago, vbi imperium illuxit ALDOBRANDINORVM ſplendore, ſic continenter de ijs pędicauit, vt non voce hominis, ſed numinis tota vrbs ſemper videretur reſonare. Id autem neq; libenter dico, quia prudentia P. ALDOBRANDINI, vt de ea fiat fides, nullius eget teſtimonio: neq, non grauatè taceo, quoniam nullius voce magis, ALDOBRANDINORVM laus nutritur, quàm ſapientiſſimi eius viri præconio. Quemadmodum enim de Muſica, non ratum eſt, niſi quod à muſico fertur, iudicium: ita prudentiæ laus, niſi oratione prudentiſſimi viri effloreſcat, omnis flacceſcit. Eſt autem hic tam prudens, vt ſicuti ipſa apud Diodorum præ-

cipit prudentia, norit,& ex aliorum erroribus, rectum quod eſt ſequi: & ex periculis, quod tutum eſt, amplecti, erudiriq; ad gloriam ex aliorum infamia. Sed quid Alij ferant de Prudentia P. ALDOBRANDINI quæ ars eſt imperandi deſino repetere. eius .n. aliò me vocant ſapientiſſimè de præceptis prudentiæ dicta, ac reſponſa, quorum ſeries hæc eſt.

1 *Quòd Ars imperandi ſit Prudentia.*
2 *Quòd vir prudens bonos viros vincat doctrina: doctos probitate.*
3 *Quòd vinculum Imperij, & obſequij ſit Prudentia.*
4 *Quòd viro prudenti nihil fere non cedat ex ſententia.*
5 *Quòd vir prudens lentè maturet.*
6 *Quòd vir prudens non ſolum verba, ſed vultum etiam ad ſuadendum, habeat accommodatum.*
7 *Quòd vir prudens ibi timet, vbi ſtultus ſperat.*
8 *Quòd virum prudentem, vix quicquam poſſit latere.*
9 *Quòd nulla virtus videatur à viro prudente exulare.*
10 *Quod non difficile ſit viro prudenti, ex malis bona: & ex bonis mala præſentire.*
11 *Quòd vir prudens timeat magis futura, quàm oblectetur præſentibus.*
12 *Quòd viri prudentis ſit non ſolum otium, ſed etiam extrema omnia vitare.*
13 *Quòd Ars imperandi ſit prudentia.*
14 *Quòd quaſi plures reperiantur prouinciæ, quàm viri prudentes.*
15 *Quod non ſit viri prudentis quicquam admirari, ſed admirabilem ſe omnibus reddere.*
16 *Quod in prudentia ſint ſumma, & pacis & belli auxilia.*
17 *Quòd prudentis conſilium, viri fortis robori ſit anteponendum.*
18 *Quòd vir prudens victus, formidabilior ſit victori: quam victor*

ctor fortis victo prudenti viro.
19 *Quòd vir prudens latentes in ſimulatione, & diſſimulatione exploratos facile habeat hominum animos.*
20 *Quòd prudentis ſit momenta omnia obſeruare temporum.*
21 *Quod magnũ diſcrimen ſit inter prudentem virum, & fortem.*
22 *Quòd vir prudens nouit aliorum erratis bene vti.*
23 *Quòd neſciat iacere viri prudentis auctoritas.*
24 *Quòd prudentia vita humanæ ſit magiſtra.*
25 *Quòd nihil ſit in bello hoſti formidabilius, quàm ducis prudentia.*

QVOD ARS IMPERANDI ſit Prudentia. I.

CVM Inferior Germania bello flagraret, iaceretq; apud exteras gentes, virtus omnis propè imperij: multi pecuniam: non pauci milites: omnes arma ad imperãdum quærebant, quod cùm animaduerteret, dixit non harum rerum, ſed prudentiæ adminiculis regi imperium. vt enim iuſtitia iniuriæ: ſic prudentia ægroti imperij eſt medicina. Quare Senatus Romanus, quem totus orbis terrarum conſulebat, à ſenibus & eſſe, & vocari voluit, quia ſenectus conſors, & ſocia eſt prudentiæ.

QVOD VIR PRVDENS BONOS Viros vincat doctrina, doctos Probitate. II.

ID demum, aut potius id ſolum Principi tribuo glorioſum, quod prudentiæ eſt ornamentũ. Soletq; ad hanc rem, ille dicere ſicuti Deus dictus eſt à θεάομαι

video,

video: ita Prudentem dici, quaſi procul videntem, eò quòd vim ac numen retineat Dei immortalis. Eſt enim prudentia virtus vera intelligendi, & iuſta ſimul operandi. Inter morales tamen virtutes ſibi aſciſcit locum, eò quòd intelligentia poteſt eſſe in Improbis: non poteſt prudentia eſſe, niſi in viris bonis. eſt enim prudentia non ſolùm virtus ingenij: ſed etiam iuſtitiæ dux, & magiſtra, qua & inueniuntur abdita, & iudicantur inuenta.

QVOD VINCVLVM IMPERII, & obſequij ſit Prudentia. III.

CVM præteritorum iam malorum obducta quaſi cicatrix recrudeſceret, admiſci ſceleris in imperando memoria: augereturq; dolor retractando calamitates & inferioris, & ſuperioris Germanię: dixit vnam eſſe artem benè beateq; imperandi, prudentiam: ſine qua nec regere quis, nec regi poteſt. Quare non magis opus eſt populo Principe: quàm Principi prudentia. Nam quemadmodum in rerum ſpeculatione, falſa ſæpe ſic admiſcentur veris, vt vera culpentur pro falſis, & falſa probetur, pro veris: ita in rebus agendis honeſta plerumq; vitantur pro turpibus, & turpia aſciſcuntur pro honeſtis, niſi quod res eſt in dubiorum tenebris illuſtretur, nō ſolis luce, ſed prudentiæ.

QVOD VIRO PRVDENTI, NIHIL ferè, non cedat ex ſententia. IIII.

AIEBAT nunquam accidere viro prudenti, vt cogeretur hoc verbo vti, non putaram. Viri enim Prudentis non ſolum inſtructa veritate, & ornata ſcientijs eſt

tijs eſt opinio: ſed etiam aduerſus temporum tempeſtates omnes ſic munita, vt omnia videantur parere eius conſilio. Teſtis eſt apud Græcos Homerus. Nam cur Vlyſſes ab eo fingitur is eſſe, qui ab Æolo tempeſtatum omnium ventos accipiat, & in vtre teneat incluſos? quia imperat, niſi plane hebeſcimus, rei fortuitæ ventis vir prudens: non res fortuita viro prudenti.

QVOD VIR PRVDENS LENTE maturet. V.

CVM doctrinæ lacerti, in ſapientum ſint ſententijs: atq; eruditionis ſuccus, & ſanguis in verborum tegumentis, tanquàm in venis, & viſceribus rationis delteſcat: tum ſapientiſſimi huius Antiſtitis dicta, ac reſponſa nemo poteſt ſine mira vtilitate reguſtare. dicebat aũt vbi vrgerent temporum anguſtiæ, non eſſe accelerandum, ſed maturandum. Qui enim accelerant ſæpè feruntur præcipites: qui verò maturant, omne vacant temeritate, & negligentia. illud inconſiderati eſt animi: hoc prudentis ſemper eſt habitum. Nam quorſum in Symbolis Anchora, cui adhæret Delphinus? non minus eſt prudentis in rebus agendis, mora, quàm celeritate duci. illa oſtenditur Anchora, quæ ad moram eſt fabricata: hæc Delphino, qui piſcium omnium eſt velociſſimus. nihil igitur ſonat, aut olet hoc Symbolum niſi, vt veteri fertur prouerbio, lentè eſſe maturandum.

QVOD PRVDENS NON SOLVM verba: ſed vultum etiam, ad ſuadendum, accommodet. VI.

VIR Prudens, etſi periculis eſt illaqueatus, aditus tamen euadendi habet apertos. Dicebat igitur, viro prudenti nihil magnopere poſſe nocere. Nouit enim non ſolum orationem, ſed etiam frontem, & oculos ad aliorum voluntatem vſque eò accommodare, dum fiat compos voti. Vetus eſt in Semiramide Regina exemplum. Hæc enim Nino Rege viro mortuo, cùm eſſet filio admodum adoleſcenti, & ſtatura, & oris figura perſimilis, Nini filium virili habitu, & effigie mentita, Regnum à viro relictum, non ſolum tutata eſt, ſed etiam maiorem in modum auxit, atq; latè propagauit. cognoſcere omnia poteſt prudens, quia videt in tenebris: cognoſci non poteſt, quia vultum habet in manu.

QVOD VIR PRVDENS IBI timet, vbi ſtultus ſperat. VII.

NON inani honoris aura, non rerum blandimentis, & ſecundo cupiditatum euentu vir prudens ſeducitur: ſed ratione ducitur, & conſilio. interroganti igitur quid maximè timeret vir prudens, res dixit fortunatas. iccircò enim timendum eſt in proſpero hominum ſtatu, ſperandum in aduerſo: quia nihil eſt eo mutabilius. iure igitur laudatur pariter Amaſis Ægyptiorum Rex. Etenim cùm omnia Polycrati Samiorum Tyranno proſpere fluerent, per litteras illi remiſit ius omne veteris amicitiæ. videbatur enim

res fortuita Tyranno ſuis inſidiari lenocinijs: cui nemo non ſtultiſſimus poteſt fidem habere.

QVOD VIRVM PRVDENTEM *vix quicquàm poßit latere.* VIII.

MVLTO præſtrantior eſt. docto viro prudens, Nam inter vtrumq; hoc intereſt, quod ille cognoſcit, quæ à doctore accepit: hic verò, quæ etiam nunquam didicit. Solitus autem eſt dicere, virum prudentem abſentem, ſemper adeſſe: eumq́; nõ pauca videre in tenebris: multa etiam audire, in ſilentio. Quia verò ſentit & futura, & præterita, ac remotiſſima quæq;, iccircò non falsò prudens, quaſi procul videns, eſt nominatus. Hùc apud veteres, pertinet biceps Iani imago. Nam cur eius vnum caput erat ſenis: alterum adoleſcentis? quia nec ſeni deſunt vires: nec adoleſcenti conſilium, ſi modo adeſt prudentia. Hanc qui poſſidet, prouidentia viget futurorum, & memoria præteritorum: nec ſolum ex vtraq; rerum exiſtentium haurit intelligentiam: ſed etiam vir redditur omnium horarum.

QVOD NVLLA VIRTVS VIDEATVR *à Viro prudente exulare.* IX.

CONSVEVIT dicere ab ijs modicè prudentiam laudari, vel etiam intra modum: qui prudentiæ non tantum tribuunt, vt ei non videatur deſponſa virtutum omnium gloria. Sapienter quidem. Nam, vt Apollophanes Philoſophus loquitur, huic vni virtuti, cæteræ omnes virtutes, tanquam pediſſequæ famulantur.

tantur. Nec rationi id eſt controuerſum. Etenim ſine prudentia virtus omnis fit vitium. Hoc non minus doctè, quàm falſe, apud Ægyptiorum Sacerdotes. Nam cur Gangem fluuium Hieroglyphicum fecerunt prudentiæ? quoniam cum virtutum aliæ in cognitione: aliæ in actione: aliæ conſiſtant in oratione: fluuius hic & Carbunculos, qui (ſi lapidarijs credimus) ab opinionis errore arcent gerentem: & Smaragdos, qui faces reſtingunt libidinis: & aurum, quod putidum oris commendat ſpiritum, vehit. Neq; enim poteſt quis, aut recte intelligere, qui non prudenter intelligit: aut iuſtè operari, qui temerè operatur: aut dicere appoſitè, qui inconſiderate dicit.

QVOD NON DIFFICILE SIT Viro prudenti, & ex malis bona: & ex bonis mala præſentire. X.

EST Prudentis, officiorum momenta diligenter perpendere, atq; plerunq; ex bonis mala, & ex malis bona odorari. Conſueuit igitur, in conſilij capiendi deliberatione dicere, non minus quæ ſunt inſidioſa bona, eſſe cauenda, quàm, quæ expreſſa ſunt mala, refugere. hac ex ſententia, non parum multis antè ſeculis contraxit gloriæ Scipio Naſica. Anceps enim, & dubia cùm Romæ inter Patres agitaretur hæc quæſtio, Carthago funditus nec ne eſſet delenda: ipſe in primis, Cato cui antea priſci fuit nomen, ſenſit Carthaginem eſſe delendam, vt Roma incolumis eſſet, multiq; pedibus ierunt in eius ſententiam. At Scipio acerrimè ei reſtitit: inquiens excidium Carthaginis, fore vrbis Romæ exitium. Metuebat enim, ne Populus Romanus æmulæ, & inimicæ vrbis metu liberatus

beratus in bella inrrueret ciuilia, quibus deinceps reſtinctum magis, quàm debilitatum eſt imperium.

QVOD VIR PRVDENS TIMEAT *magis futura, quàm oblectetur præſentibus.* XI.

NON ſolum in fronte, ſed etiam à tergo vir prudens habet oculos, ne tantum quæ ante fuerunt videat, ſed etiam quæ poſt futura ſunt, perpendat, & examinet. dicebat itaq; non eſſe ſanæ mentis, rem iudicare ex eo, quod eſt, ſed magis ex eo, quod futura eſt. Sic laudatur Hanno Carthaginenſis, Senator nobilis. Magone enim Annibalis Pœnorum ducis fratre, in curia referente, cæſa intra biennium ducenta millia hoſtium ab Annibale, quatuor conſulares exercitus deletos: magnam Italiæ partem, à Romanis ad Pœnos defeciſſe, & vt maior fides ijs, quæ dicerentur accederet, tres modios annulorum in Curiæ veſtibulo cùm effudiſſet. Hanno Magonem percunctatus eſt, ecquis ex vrbe Roma, poſt tot clades acceptas, ad Annibalem veniſſet, pacem petiturus: an Romæ de conditione pacis ageretur, cum ille vtrumq; negaſſet, grauiter ingemiſcens dixit, Carthaginem multis victorijs ſui comparare exitium. Nam ſi res, ait, gradum reuocare cæperit, fruſtra pacem imploremus, quam nemo nobis vincentibus detulit.

QVOD VIRI PRVDENTIS SIT non ſolum otium, ſed etiam extrema omnia vitare. XII.

INTERROGATVS aliquando, cur Multi ad honores prudentiæ obrepere ſolent: pauci prudentiam attingere. quia dixit, difficillimum eſt in prudentiæ arcem inuadere, facillimum verò arcis inſignia gerere. Hùc pertinet elegans hoc inſigne: in quo Grus ſpectatur, quæ inter volandum librat lapillum: cùm titulo, ne quid nimis. Hoc enim inſigni tripertitum adumbratur viris prudẽtis munus: primũ eſt, ne malũ admittat: deinde, ne bonum omittat: tum vt officium ſatis præſtet: qui in primo errat, nimium: qui in ſecundo, nihil: qui in tertio, parum cenſetur agere. hoc belle ipſum inſigne. Nam in Grue, is eſt naturæ ſenſus, vt in volatu lapidem viribus æqualem, & iuſto pondere libret, ne nihil primum tollat: deinde ne nimium: tum ne parum, aduerſus ventorum vim ſit ſaburrata.

QVOD ARS IMPERANDI ſit prudentia. XIII.

QVI Prudens eſt Princeps, nouit omnes imperij abſorbere difficultates: quæ cùm maiores ſint omni multitudinis robore, is ſolus tamen ijs omnibus ſufficit. cuidam igitur interroganti, qua ope fretus, tantam molem non perhorreſceret imperij: iuris reſpondit, aut potius prudentiæ, quæ humanæ ſocietatis Dux eſt, & communis vitæ magiſtra, atq; domina. doctè id quidem. vetus enim eſt Antiquitatis auctoritas. Nam quorſum nuda illa,

quæ

quæ tot ſæculis inueterauit, Herculis eum exuuio Leonis imago? nihil eſt, in armis victoria, niſi prudentiæ præda: nihil ipſa nuditas, niſi cum rerum contemptu, veluti quidam fœlicitatis triumphus.

QVOD QVASI PLVRES REPERIANTUR Prouinciæ, quàm viri prudentes. XIV.

MIRAM prudentum virorum paucitatem oſtendere volens, conſueuit dicere, neminẽ eſſe prudentem, niſi qui oculos haberet Mineruæ. Hæc enim quaqua verſus æque cernebatur, in omnia oculos iniectos habere: quod vt demonſtrarent veteres pictores, ita Mineruam pinxerunt, vt nemo eſſet ex plurimis aſſiſtentibus, quem non fixis oculis ſpectare videretur. Sic Romæ illam Amulius pictor expreſſit. ex quo magnam meruit laudem. Nam quæ in viri prudentis conſpectum minimè veniunt, in eius tamen aſpectum prodeunt omnia. quo fit, vt non ſolum res omnes præuideat: ſed etiam periculis omnibus prouideat. Eſt enim prudentia armatura, qua qui induitur minimè lædi poteſt. Nam ſicut aſpicientes Meduſæ caput, vt eſt in fabulis, in ſaxa vertebantur: ita qui viri prudentis conſilium ſentiunt: ſtatim proprio ſenſu deſtituuntur, eorumq; voluntas non fit ei contraria: ſed præda.

QVOD NON SIT VIRI PRVDENTIS quicquàm admirari: ſed admirabilem ſe omnibus reddere. XV.

QVONIAM vir prudens vnum quodq; ſuo examinat pondere, iccirco nihil ſolet admirari. Non enim ex re, ſed ex rei inſcitia, hominum naſcitur ad

miratio. Cum quis itaq; diceret ſe admirari felicem Ferrariæ ſucceſſum, ei reſpondit, non fieri id ex rei gloria, ſed ex admirantis inſcitia. Nam vir prudens cum omnia habet perſpecta & cognita, nihil noui poteſt ei videri, aut admirabile: quia verò noui ſemper alijs aliquid affert, ſolus videtur admirabilis. Doctè id Poetæ. Nam quò ille rerum omnium formas induens tendit Proteus? viri prudentis habet interprætationem, qui parendo tempori, alius ſit oportet, alijs in rebus: quia tempore, nihil eſt varium magis, & mutabile. Quare vt prima materia, ſemper pro varietate formarum, aliam figuram, cum diuerſo capit nomine: ita vir prudens, pro rerum diſcrimine, nunquàm fere fit idem: ſed modo iuſtus: modo fortis: modo temperans, & habetur, & dicitur.

QVOD IN PRVDENTIA SINT Summa, & pacis, & belli auxilia. XVI.

CVM quis Antiſtiti dolorem refricaret memoria læſi Imperij, atq; ſciſcitaretur quænã tàm ægrotæ Reip. eſſet medicina: Prudentia reſpõdit. Multa.n. habet in conſilij deliberatione: ſumma in re bellica, malorum remedia. Teſtes ſunt Romani, qui prudentiæ, templum Paci ſacrum fecerunt: quiq; in Bello Gallico, quod Celticum vocabatur, & Senes & Sacerdotes, prudentioreſq; omnes, quia omnium eſſet periculoſiſſimum, non ſolum intereſſe, ſed etiam præeſſe volebant. Quæ enim ſumma ſunt belli ſuffragia, non ab armatorum robore: ſed à prudentum conſilio ſunt petenda. Illi enim vt fortes: hi vt diuini Principes regunt imperium. Hoc ipſe Homerus per Vlyſſem. Nam cur Vlyſſes interpretatur regionum omnium peregrinus?

nus? quia, nemo in regendo imperio, niſi veritati obdormimus, verè fit prudens, niſi qui per multas, & varias ſcientiarum regiones peragrarit.

QVOD PRVDENTIS CONSILIVM, *viri fortis robori ſit anteponendum.* XVII.

AMORIS pleniſſimæ ſunt, quæ à ſapientibus in populum proficiſcuntur obiurgationes. Quia autem imperitorum vulgus, eſt alienus à literis, ad rem bellicã magis procliuis, ſolet hos ſapientiſſimus Antiſtes ſuauiſſimis verbis vtens, re grauiter inculpare. Dicebat enim Phæbo, multò plus, quàm Marti tribuiſſe Deum, quorum alter rei literariæ: alter virtutis bellicæ, apud Poetas, eſt magiſter, & Dominus. hoc quippè probabat argumento, prudenti viro fortem, in honore debere concedere. ſuffragatur huic eius ſententiæ Rex ſecundus Athenienſium Cecrops, apud quem, iudicium Neptuni, & Mineruæ de vrbis nomine agitatum eſt. Cauſam enim Minerua, ex eius ſententia, ſuſtinuit: cecidit Neptunus.

QVOD VIR PRVDENS VICTVS, *formidabilior ſit victori, quàm victor viro prudenti victo.* XVIII.

INSIDIOSA eſt, aduerſus hoſtes, viri prudentis clementia: nullumq; eius beneficium, in armis, periculo eſt vacuum. præclarius enim ingenio, quàm ferro ducit hoſtes ſuperare. Quare ſolitus eſt dicere, prudentem virum inermen, in bello formidabiliorem eſſe forti viro armato: eò quòd fortitudinis eſt pu-

gnare: prudentiæ vincere. Non vulgare eſt C. Cæſaris teſtimonium, is enim Nicomediam nauigans, cùm iuxta Maleam à latronibus Cilicibus captus eſſet, iniuriam non ſolum verbis, ſed etiam fronte, & oculis texit. cùm igitur magnam pro eius libertate mercedem poſcerent: ille quaſi eorum miſertus, quibuſcum agebat familiariter, duplicem ſummam promiſit. vbi autem appulerunt Miletum, Cæſar Epicratem, Mileſium ſeruum ad Mileſios miſit rogans, vt ſibi pecunias mutuo darent, qui eas confeſtim miſerunt. Epicrates mandatum habebat à Cæſare, vt cum pecunijs, magnum conuiuij apparatum apportaret, & hydram plenam enſibus, vinumq; mandragora miſtum. Cæſar duplicatam pecuniæ ſummam latronibus numerauit, eiſq; conuiuium appoſuit. illi exultantes pecuniarum multitudine, tempus omne dederunt corpori: genioq; indulgentes, largiter vinum hauſerunt medicatum. Poſtquam igitur vino ſomnoq; ſunt ſopiti, illi ad vnum omnes, nullo negotio à Cæſare ſunt trucidati: ac pecuniæ ſimul recuperatæ, quas ſtatim Mileſijs reſtituit.

QVOD VIR PRVDENS, LATENTES, in ſimulatione, & diſſimulatione, exploratos facile habeat hominum animos. XIX.

CVM multi ſint faceti corpore, deformati animo, beneq; loquantur, cùm malè ſentiant: ſolitus eſt dicere, non eſſe viri prudentis, vel oculis vel auribus, in hominibus iudicandis, fidem habere. Res enim eſt iudicij: non coloris, aut vocis. Id cùm ſentiret Chabrias Athenienſis Imperator, vbi impreſſionem, & impetum aduerſus hoſtes eſſet facturus, conſueuit, ſi recens præſertim collectus erat exercitus, per præconem, nunciare, vt qui

male

male ſe haberent, ſeparatim arma deponerent. quotquot igitur erant timidi, morbum ſimulantes, arma deponebant. his ad pugnam non vtebatur, ſed ad præoccupanda loca munita.

QVOD PRVDENTIS SIT momenta omnia obſeruare temporum: XX.

DICEBAT eſſe prudentis quid res, quid tempus, in rebus agentis, poſtulet odorari. Quæ enim non loco, aut tempore benè fiunt: pro male factis culpantur. teſtes ſunt omnium inter mortales, ſapientiſſimi Ægyptij. Nam cur Morum Hieroglyphicum conſtituunt prudentiæ? vt doceant certè nihil fieri prudenter, niſi quod fit in tempore. Hæc enim arbor, ne pruina lædi poſſit, omnium nouiſſimè in germina, & flores erumpit: deinde quaſi curſu tarditatem corrigens, vna ferè noctè tota germinat, primaq́, omnium, ne æſtus ſentiat iniuriam, fœtum maturat. quo admoneri videmur, eam demum præclaram eſſe actionem, quæ temeritate vacat, & negligentia.

QVOD MAGNVM SIT DISCRIMEN inter virum prudentem, & fortem. XXI.

QVASCVNQVE in oras, Regioneſue diſputationis res delata eſt, nullo negotio cùm ſoluatur à viro ſapiente: tum virtutum hic omnium Antiſtes, facile dubitationis hunc ſcrupulum ex hominum, animis abſtergit. cùm ferueret aliquando inter do-

ctos viros quæſtio vtrum arma literis, an literæ armis eſſent anteponenda: Dixit tantum intereſſe inter prudentem,& fortem virum,quantum intereſt inter magiſtrum,& diſcipulum. Si enim prudentia eſt rerum omnium magiſtra, docetq; fortes pugnare: iudices rectè iudicare: bonos viros quid ſequi debeant, & refugere, ac deniq; oratores quid dici, & non dici debeat, non poteſt vir prudens, non eſſe opifex, & magiſter virtutũ omnium. Quare inter Prudentem virum,& fortem, hoc intereſt, quòd hic propenſus eſt ad fœlicitatem: ille verò felix. quod probat Seneca,per Gradationem,hoc modo. Qui prudens eſt ait, temperans eſt: qui eſt temperans, eſt conſtans: qui conſtans, non perturbatur, qui non perturbatur, eſt ſine triſtitia: qui deniq; vacat triſtitia, felix eſt, ergo felix, & beatus eſt vir prudens.

QVOD VIR PRVDENS NOVIT Aliorum eratis bene vti. XXII.

SICVTI in Ædibus veſtibula: ita prudentia primos bonorum omnes habet aditus. ſciſcitanti igitur quis eſſet prudens, qui reſpondit addiſcit plus ex ſtultis, quàm ex eo ſtulti. Nam cùm veterum infamia poſteros docet,quæ ſit ad gloriam ſemita: atq; impiorum pœna cautio ſit bonorum, & diſciplina: tum Princeps prudens nouit ex vnius vitio, alterius corrigere vitium: ſtultumq; illum eſſe exiſtimat, qui poſt exemplum, vſquam incurrat. Hoc vno inſtructus argumento præſentia cõponit: prouidet futura, & inſtauratione corrigit præteria. quod vt oſtẽderet Pythagoras, inquiebat viro prudenti, duorũ temporum potiſſimũ rationem eſſe habendã, mane, & veſperi, id eſt rerũ futurarum conſilium,& præteritarum iudicium.

QVOD NESCIAT IACERE VIRI prudentis auctoritas. XXIII.

NIHIL eſt viri prudentis auctoritate præclarius. Ei enim non metu, ſed neceſſitate compulſi omnes obediunt. Nam quemadmodum ſolent, in alto robuſtiſſimi quiq; etiam infirmo parere gubernatori: nec conſueuerunt viatores velociſſimum quemq;, ſed gnarum itineris ſequi: ita prudentis eſt inter mortales dominari: fortium, & validorum obſequi. Quod vt doceret ſapientiſſimus ille Antiſtes, ſolet prudentem virum Phœbi pallum nominare. Magna vero in prudente viro, auctoritatis commendatio. Nam Gallus Gallinaceus ideò Phębo Sacer eſt, ꝙ in bonis & inſitis, & foris aſſumptis, Imperium exerceat, alterum oſtenditur, per eius buccinatum, quo ne lædatur, fugatur territus Leo: alterum, admirabili eius præſtantia, qua aurum, quod neq; igne neq, tempore comminui poteſt, abſumitur, ſi eo liquefacto, os eius alitis ingeritur. Quare hoc teſtimonij exemplo, in omnibus bonis prima gloria tribuenda eſt prudentiæ. Nam, vt eſſerit Iuuenalis nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia.

QVOD PRVDENTIA VITÆ humanæ ſit magiſtra. XXIIII.

QVONIAM nemo in eo, in quo eſt prudens, errat, fundamentum, & radicem gloriæ altiorem habet prudentia, quàm fas eſt breuiter dicere. Solet igitur prudentiæ alumnos, ſolos viuendi gnatos nominare. Nam ad recte viuendű, vt aſſerit Menander ἀγαθὸν μέγιστον ἡ φρόνησις ἐς ἀεὶ hoc eſt bonum maximum prudentia eſt ſemper. Hæc per Serpentem, in ſacris literis figurata eſt.

qua figura virtus hæc oſtenditur eſſe imperantis vitæ humanæ. Nam duplex cum ſit hæc vita, vna agendi: intelligendi altera vtriuſq; figura, & imago cenſetur eſſe ſerpens. Nam in eo ſolum animantis genere, Amphiſbænam parit natura habentem duo capita, vnum in inferiore, alterum in ſuperiore parte. ex quo diſcrimen vtriuſq; vitæ ſallè notatur, hùc accedit, quòd ſerpens totum corpus exponit ferienti, vt caput tueatur. Nam vitam omnem habet in capite conſtitutam. Si enim caput Serpentis cum minimum buſti euaſerit, viuit: ſin mactatur capite, totum corpus ſtatim exanimatur. quorſum? eſt hominis vita, ſi prudentes conſulimus, in ratione, quæ fons, & caput eſt virtutum omnium: non in ſenſibus poſita.

QVOD NIHIL IN BELLO HOSTI formidabilius ſit, quàm Ducis prudentia. XXV.

CVM aduerſus hoſtes Eccleſiæ, magnus in Germania fieret armorum apparatus, aſſeuerauit ferri aciem omnem hebeſcere, niſi in armis adſit haſta Palladis, hoc eſt prudentia: qua non ſolum procul, ſed etiam abſens traijcitur hoſtis. Nihil neq; feſtiuius, neq; doctè magis dici poterat. exercitus enim prudentiæ expers, ſuo ſe iugulat gladio. oppugnatur enim hoſtis viribus, expugnatur Ducis prudentia. quod cùm vellet ſignificare Chabrias Imperator, dixit formidabiliorem eſſe pecudum exercitum, Duce Leone: quàm Leonum, pecude duce. Siquidem, vt vna Aquila ſex centũ fugantur aues: ita ad ingentem euertendum exercitum, vir prudens vnus ſufficit.

DE CONSILIO TITVLVS QVINTVS.

QVIA ex conſilio primùm caſus,atq; orbitas pellitur eruditionis, nihil magis ad conſilij capiendi deliberationem accommodatum eſt,quàm vir eruditus. Solet enim res in quæſtionem adducta, ex ſordido ingenio ſimili lingua deformato, etiam honeſta ſordere: nunquàm autem niſi in iure, & iuſtitia recreari. multi igitur, conſilium norunt offerre: ſolus ſapiens nouit afferre. Cùm autem neq; conſilij vis,ſine prudentia: neq; prudentiæ lumen quale quantumq; ſit,ſine conſilio ſatis poteſt intelligi; vtrũq; BARTHOLOMÆIVS Brugnolius,Præſes in Inſubria Regij Senatus ſemper maximarum rerum illuſtrauit gloria: tantoq; Reip. cumulauit beneficio, vt non videatur ex prudentia laudes accepiſſe: ſed prudentiæ dediſſe. Præclara hæc ſunt eius gloriæ monimenta, non quæ de Brugnolio in penetralibus ſapientiæ inſeruntur: Sed quòd ipſe Brugnolius cernitur à Ciuibus amari,coli, & obſeruari à ſapientibus: ab omnibus deniq; non ſolũ pater patriæ, & parens vtilitatis publicæ haberi: ſed etiam nominari. Quoniam autem ex conſilio nõ tantum ducuntur rerum primordia: ſed etiam exitus, Cauendum eſt ne conſilium iniuria exulceratum, rem omnem ſuo exanimet vulnere. Quia igitur in conſilio, docet eruditio: fidem magis facit vitæ probitas, qui prudens eſt, ſolus inſtar eſt, & boni, & eruditi ſimul viri, in deliberando: ſoluſq; anſam rei benè gerendæ alijs videtur poſſe porrigere. Standum enim eſt eius iudicio. Siquidem non pecunia: non armis, & viribus res grandes geruntur: ſed pruden-

tis conſilio, quo qui labitur, corruit in omnibus. Quoniam igitur Cardinalis P. ALDOBRANDINVS gnarus eſt deliberandi: explorator rerum ſubtilis: ingenio acri: nullius temeritati fidus: veritatis propugnator: iuſtitiæ, & æquitatis patronus: cuius nulla animæ vis vacat ſapientia: mens rerum cognitione armata: ratio artium præſidio munita: opinio hiſtorijs firma: atq; oratio, in primis, ad fidem motumq; populi accommoda: ſtatui quæ ab eo de conſilio profecta ſunt apophthegmata, in ordinem redigere, quæ hæc ſunt.

1. *Quòd non ſolum prudens, ſed etiam occultum oportet ſit Principis conſilium.*
2. *Quòd nihil in adminiſtratione Imperij, vtilius ſit conſilio.*
3. *Quòd nefas ſit à conſilio principis recedere.*
4. *Quòd mens principis conſilij expers, immanis fiat, & efferata*
5. *Quòd principatus firmamentum ſit conſilium.*
6. *Quòd hoſtis conſilio magis, ſuperetur, quàm viribus.*
7. *Quod omni vallo aduerſus vim hoſtium, firmius ſit conſilium.*
8. *Quod malum conſilium, conſultori ſit peſſimum.*
9. *Quòd Principis conſilium probandum ſit magis, quàm inueſtigandum.*
10. *Quòd dare Principi conſilium res ſit periculoſa.*
11. *Quòd nihil ſit neq; difficilius, quàm deliberanti capere, neq; facilius, quàm alteri conſilium dare.*
11. *Quòd præclarior ſit, quæ conſilio, quàm quæ viribus paratur victoria.*
13. *Quòd qui viribus ſit ſuperior, facile vincatur, ſi cõſilio ſit inferior.*
14. *Quòd ei, cui non deeſt conſilium: amicus adſit Deus.*
15. *Quòd conſilium non fraudem: ſed fraudis medicinam pariat.*
16. *Quòd Neceſſitas in conſilij deliberatione, plurimum habeat auctoritatis.*

Quòd

17 *Quòd conſilij ſit in loco, aurum non capere, ſed profundere.*
18 *Quòd res ſit formidoloſa praui hominis conſilium.*
19 *Quòd quæ tria ſunt bonorum genera, illa omnia in vno delite-ſcant conſilij nomine.*
20 *Quòd robur Imperij in conſilio ſit fundatum.*
21 *Quòd Reip. igne, & aqua magis neceſſarium ſit conſilium.*
22 *Quòd Miles firmus ſit non qui ferro, ſed qui conſilio ſit mu-nitus.*
23 *Quòd res ſit formidoloſa perfidi conſilium.*
24 *Quòd mira ſit eorum, qui rectè Reip. Conſulunt paucitas.*
25 *Quòd cedat imperium conſilio.*
26 *Quòd infidum ſit venale conſilium.*
27 *Quòd conſilij ratio, hiſtoria veluti quodam pabulo ſit depa-ſcenda.*
28 *Quòd turpe conſilium, conſilij nomen amittat.*

QVOD NON SOLVM PRVDENS *ſed etiam occultum oportet ſit Principis conſilium. I.*

MAGNA ars eſt, ait, conſilij capiendi: ſumma fides occultandi. Etenim fidem in conſilio capiendo habere omnibus, eſt fatuitatis: nulli pertinaciæ: benè autem conſulenti ſummæ prudentiæ. quia verò conſilium principis fide gaudet, & taciturnitate, qui illud detegunt, non ſolum officium deſerunt boni viri, ſed etiam vulnerant. Nam quod aduerſus hoſtes maximè capitur conſilium, vix prodeſt, niſi occultum. Hoc ſalsè Poeta, in perfecto Principe effingendo. Etenim

cur

cur ab eo Æneas, & Achates finguntur nebula ſepti Carthaginem inire? quia certè quidem eſt Principis, qui alios regit, ſua conſilia tegere: non reuelare, viri boni.

QVOD NIHIL IN ADMINISTRAtione Imperij vtilius ſit conſilio. *II.*

QVONIAM ex conſilij errore, Imperij vis ruit vniuerſa: ſolet conſilium Reip. firmamentum nominare. Nihil enim eſt conſilio, aut in rerum vtilitate, vtilius: aut in honeſtate, honeſtius. Laudem quippe habet probitatis, & doctrinæ decus: eoq; præſtat pecuniæ, quòd vſus exhauriat pecuniam, augeat conſilium. Nec vulgaris eſt, ad hanc rem, Poetæ auctoritas. Nam cur apud eum Ariſtæus ſumitur pro conſilio? quia Ariſtæus interpretationem habet vtilitatis, in cuius nomine latent omnia bona fortunæ. ille enim artem inuenit mellis, & olei conficiendi, qui duo humorum omnium ſunt optimi, quiq; ſanis hominibus robur: infirmis incolumitatem miniſtrant.

QVOD NEFAS SIT A CONSILIO Principis recedere. *III.*

QVANQVAM Conſilij laus quocunq; ingreditur, eodem ſemper virtutum omnium inſtructu, ornatuq; comitata eſt: vicit tamen Antiſtes ille ornatum omnem, præconij, & gloriæ magnitudine. interroganti enim quid eſſet Principis conſilium, non dixit Muſarum eſſe Senatum: ſed Apollinis oraculum: ex quo humani generis ſocietas ſalutem, tranquillitatem, atq; optima quæq; petere conſueuit

ſueuit. eſt enim eius conſilium, malorum omniũ remedium. Quod conuincitur admirabili hoc argumento. Etenim ad quid vetus hoc Symbolum, Ciconia roſtro ferens Platani folium? docet nullum Principis conſilio, aduerſus hoſtium inſidias firmius eſſe munimentum. Noctua enim, ſi incubat oua auis alicuius, ſic ea faſcinat, vt inania reddantur, & irrita. itaq; Ciconia quaſi plena conſilij, amuletum affert in nidum, Platani folium. Nouit enim Noctuæ Platanum omni morte eſſe terribiliorem.

QVOD MENS PRINCIPIS, CONSILII expers: immanis fiat, & efferata. IV.

QVEMADMODVM in dolorum facibus, & morbi periculis, non noua à medico, ſed ſalutaria geſtit audire infirmus: ita Princeps in curatione ægrotæ reip. non quæ grata, ſed quæ ſalutaria ſunt, ex publicæ ſalutis fundo, haurire velle debet Senatus conſilio. Eo enim ſi deſtituitur, imperiũ ſtatim non ſolum euertit: ſed etiam immanis, & efferatus redditur. Sic enim Nero mentem cùm haberet expertem conſilij: exiſtimauit decere, quicquid ſibi liceret: eoq; furoris, & inſaniæ proceſſit, vt Agrippinam matrem peremerit: Octauiam Coniugem, Pompæa pellice ducta, domo exturbarit: eiq; venas reſtingui vinculis iuſſerit, & per omnes artus ſanguinem mitti, neue pauore ſanguis tardius flueret, feruidi balnei calore necari. Nec ante imperij licentia abuti deſtitit, quàm ipſe ab infeſta multitudine, ad mortem ſit compulſus.

QVOD PRINCIPATVS FIRMAMENTUM *ſit Conſilium.* V.

NON adeò fama, quàm fame videntur ridiculi, qui vocem in quæſtum conferunt: nec officium in deliberando, ſed ſpem ſequuntur. Eſt enim conſilij obſes non quæſtus, ſed prudentia: non petulantiæ aculeus, & procacitatis: ſed lumen aut numen potius iuſtitiæ, & veritatis. id ſapientiſſimus ille Antiſtes, vt doceret, dicebat concilium principatus eſſe baculum, ſine quo ſtare non poteſt, iacere poteſt Princeps. Salsè ille quidem. Nemo enim ſcire cum poſſit omnia, multorum conſilio princeps vtatur oportet. ex tot enim ſapientibus, qui per omne æuum floruerunt, nemo adhuc inuentus eſt, qui ſe omnia ſcire profiteretur.

QVOD HOSTIS CONSILIO MAGIS *ſuperetur, quàm viribus.* VI.

PRÆSTAT virtutum omnium ille Antiſtes, totius Græciæ ſapientiſſimo Hippocrati. hic enim deſperatis vetuit adhibere medicinam: ille vero deſperatos etiam excitat concilio, & iacentes à deſperatione in ſpem reuocat. ars quippè medendi, valitudinis ſolum: conſilium verò non ſolum ægrotæ, ſed etiam exanimatæ reipu. eſt medicina. conſueuit itaq; dicere vbi res arderet bello, pluris imperatoris in armis eſſe conſilium, quàm impreſſionem vniuerſi exercitus, & impetum. docuit id aliquando ſuo conſilio Fabius Maximus, qui ab vniuerſa Italia, Corona Graminea eſt donatus, quoniam non repugnando, ſed cauendo, Romanis reſtituerat rem.

QVOD OMNI VALLO ADVERSVS *vim hoſtium firmius ſit conſilium.* VII.

INTERROGANTI cuidam quo genere armorum, hoſtium vis maximè poſſet reparari: vmbone dixit Palladis: quo qui tegitur, nullo modo lædi pōt. Quare res bellica, ſine conſilij prudentia, nec vtilitatem, nec laudem habet. docet id, in Pyrrho infauſtus rerum euentus. hic quippe Epirolarum Rex, rerum ſucceſſu elatus, contra Antigonum Macedonum regem, nulla laceſſitus iniuria, arma accepit, vi & potentia fretus: Antigonus verò nullo ab exercitu firmus, conſilio vtens pro armis, Pyrrhi exercitū cunctando ſæpe illuſit: ac demum ſpem eius omnem in contemptum adduxit, & deſperationem. hùc accedit & Plopidas Thebanus, & M. Marcellus, qui ambo vi potius, quàm conſilio freti, turpiter magis, quàm fortiter in bello ceciderunt.

QVOD MALVM CONSILIVM *conſultori ſit peſſimum.* VIII.

QVIA in eo deliberandum eſt diu, quod ſemel eſt ſtatuendum: nihil eſt renitentius conſilio, quàm præpropera feſtinatio. Non enim conſilium celeritate, ſed prudentia eſt depaſcendum, qua reguntur vniuerſa. Quoniam autem eò pertinet omnis conſilij deliberatio, vt aut depellatur malum, aut accerſatur, quod eſt bonum, dicebat eum, qui in alterutro erraret, nemini ferè peius, quàm ſibi officere. Non adeo debet igitur vir prudens, ſuis bonis inter deliberandum delectari, quàm alienis malis laborare, cauereq; ne alteri male conſulat. Nam quæ mala in alios exeunt, grauiora in auctorem redeunt. docuit

cuit id olim Perillus Athenienſis, faber ingenio præſtans, qui Phalaridi Tyranno Taurum ex ære fabricauit, in quo reus clauderetur, ac ſubiecto igne, mugitum bouis ederet: cuius muneris nomine, cùm ampliſſimum à Tyranno expectaret munus, eò quòd nouis ſemper tormentis excogitatis oblectabatur: primus in Taurum iniectus, ſuppoſitiſq; ignibus, ſuæ artis experimentum præbuit. Quare celebris, & peruagata eſt Heſiodi hæc ſententia. βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. hoc eſt conſilium malum, conſultori peſſimum.

QVOD PRINCIPIS CONSILIVM probandum ſit magis, quàm inueſtigandum. IX.

NIHIL aiebat eſſe in bono conſilio, luce peius. itaq; paucorum fidei eſt cõmittendum, quod cupis latere. Nam, vt teſtatur Chilo Lacedæmonius, qui vnus ex ſeptem Græciæ ſapientibus habitus eſt, nihil eſt difficilius, quàm ſecreta ſilentio tegere. In hoc vitio, cùm non parum ſit turpitudinis, multum etiam ſæpe periculi, Philippides Comicus Poeta, interpellatus à Lyſimacho rege, vt aliquid peteret, nihil reſpondit, ò rex aliud à te peto, niſi vt nunquam recunditi tui conſilij me facias conſcium. norat enim vir ille prudens, id quod haberet cum alijs commune, non eſſe in ſua manu, vt diu poſſet latere.

QVOD

QVOD DARE PRINCIPI CONSI-lium res ſit periculoſa. X.

ETSI Conſilij vtilitatem, poetæ ſatis vna Promethei celebrant fabula, dicebat tamen nihil eſſe periculoſius, quàm Principi conſilium dare. Nam in conſilio, bonorum quæ afferuntur vtilitas, eſt Principis: Si quid verò res mali attulerit, id omne in auctorem conſilij incurrit. interroganti igitur quid tutum eſſet viro liberè agenti cum Principe: obſequium dixit: deinde quid periculoſum: conſilium ait. vbi enim res malè cedit, ibi conſilij auctor peſſimè habetur. Quare vt eſt apud Plautum, plus oportet ſcire ſubditum, quàm loqui. Hoc ipſa Promethei fabula. Nam quamquàm interpretationem habet multi conſilij, iſq; ignem mortalibus, qui obſcuriorũ omnium eſt ſuauiſſimus, impertiuit mortalibus, quoq; detracto, nec metalla, nec artes haberemus illiberales: is tamen præmij loco in monte Caucaſo, grauiter affectus, & afflictus cenſetur ſic lacerari à vulture, vt nec cum lætitia mori, nec viuere poſſit ſine atrociſſimo dolore.

QVOD NIHIL SIT NEQ; DIFFICILIS quàm deliberanti capere, neq; facilius quàm alteri conſilium dare. XI.

INQVIEBAT neminem eſſe, qui ſe non mallet eſſe Vlyſſem, quàm Cyclopem. nec falsò. maiores enim ſunt conſilij vires, quàm corporis. homo puſillus, ingentes Elephantes, per Syluas capit, frenat equos, ſubiugat boues aratris: volucres deijcit arundinibus: ac deniq; in imo maris, quæ ſubmiſſa ſunt retibus

F extrahit.

extrahit. verum in tanto bono, hoc eſt incommodi: quod omnes in re aliena conſilio videntur abundare: in propria nemo non egere. dare enim conſilium eſt cuiuſuis: capere ſapientis tantum. Thales igitur interrogatus quid eſſet homini facile, ἄλλῳ ὑποτίθεσθαι, hoc eſt alteri conſilium dare. Nullum eſt grandius argumentum ſtultitiæ, quàm eius, qui cùm ſua ignoret, aliena cogitet ſapere.

QVOD PRÆCLARIOR SIT, QVÆ conſilio, quàm quæ viribus paratur victoria. XII.

NON inſtituta, ſed inueterata eſt, in ALDOBRANDINO, conſilij gloria. aiebat non eſſe turpe, Imperatorem à viro ſapiente ſuperari: ſapientem verò vinci ab Imperatore tam glorioſum eſſe imperatori, vt nomen vinceret imperatoris magnitudine gloriæ. Nihil, in bello, priſcis hominibus antiquius fuit conſilio. Non enim ſuperiis, in armorum conflictu, ſunt auxilio, qui ſe inconſulto mittunt in pericul̄um. Nihil enim neq; Mithridati memoria: neq; Themiſtocli prudentia: neq; Ariſtidi Iuſtitia, nec deniq; Heraclito ingenium, qui ſine præceptore ſapientiſſimus euaſit, ſine conſilij deliberatione profuiſſet. Quare omnis fere antiquitas conſilio plus, quàm vel arti, vel robori, vel vlli demum virtuti tribuit. Itaq; lacones ſi quando ſtratagemate, id eſt Callido conſilio ſuperaſſent hoſtem; Marti bouem immolabant: ſin aperto prælio, Gallum gallinaceum. Hoc pacto commonebant belli duces, vt magis conſilio, aduerſus hoſtes, quàm ferro digladiarentur.

QVOD QVI VIRIBVS SIT SVPLrior, facile vincatur, ſi conſilio ſit inferior. XIII.

SOLITVS eſt dicere non eſſe roboris, & virium, in bello: ſed conſilij, periculis conſulere: vincere iccircò eum, non qui viribus, ſed qui cõſilio plus poteſt. loquitur id ratio: probat Maior Cyrus ſui Teſtimonio. Cùm enim in exercitus robore, & militum multitudine hoſti concederet, is trans Araxen fluuium Caſtra quaſi timidus poſuit, Maſſagetiſq; in ſe irruentibus reliquit diripienda: illos mox cibo potuq; graues, ac ſumno deditos noćte intempeſta adortus, cum ſuo rege trucidauit. facile quippe eſt ſtruere inſidias, cauere difficile.

QVOD EI, CVI NON DEEST conſilium, amicus adſit Deus. XIV.

HOC intereſt in bello, inter pecuniam, & conſilium, quod illa potentiori cedit: hoc imperat: quod illa eripi, & ſurripi poteſt: hoc non poteſt. aiebat igitur, quia Deo amicũ eſt conſilium, eos, qui olim conſilio floruerunt, nõ vt Heroes improbitati impetaſſe: ſed vt diuinos homines. Arti quippe, & prudentiæ non ſolum cedunt mores peruerſi: ſed etiã, in armis iratorum fax, & furia. Nullus hoſtium ſæpius vicit Romanos, quàm Annibal Barchinus: at aſtu, & conſilio potius, quàm ferro. arte ad Trebium vicit: arte ad Traſimenũ, & Cannas, & ipſe magna quidẽ arte à Fabio interclusus, maiore aliquanto, per Caſſinatem ſaltum, Romano milite illuſo, euaſit. Ludibrium dici põt, ꝙ bobus ſarmentis ad cornua inc nſis, in aduerſum mõtem ab

hoſte obſcura nocte adactis, Romanus Miles noua ſpecie territus, præſidio abſceſſerit.

QVOD CONSILIVM NON FRAVDEM *ſed fraudis pariat medicinam.* XV.

PRÆCLARA eſt in ſummo eo Antiſtite, conſilij laus, qui ſemper Deum, vix vnquàm hominem, in rebus tractandis ſecutus eſt conſiliarium. Quare in præſtigijs vitandis, conſueuit dicere, conſilium non eſſe fraudis artificium: ſed medicamentum. ita M. Brutus imperator, cum Lycios trans Xanthum amnem compulſos vrbe excluſiſſet, indicio comperit ſupter aquam nando eos vrbem repetere: tetendit itaq; occultè reſia, cum tintinabulis ſupernè appoſitis, quo indicio, incidiſſe hoſtes in retia ſignificaretur. multi per hunc modum capti ſunt: cæteri à ſimili conatu deterriti, extorres eſſe maluerunt.

QVOD NECESSITAS IN CONSILII *Deliberatione, plurimum habeat auctoritatis.* XVI.

NEC tarda, nec parum efficax eſt, ad conſilium capiendum, vrgens neceſſitas. Hęc enim æquè ſtatim & fidem, & motum facit. Solet igitur dicere vim omnē ſuadendi vna vinci neceſſitudine. Non ſolum enim aduerſus neceſſitudinem, rauceſcit ars dicendi: ſed etiā omnis flacceſcit periculi metus. Teſtis, inter Romanos, eſt C. Marius. Nam cùm rei ſumma, in aperto ſita eſſet diſcrimine, ſic caſtra poſuit, vt militi antè non liceret aquari, quàm cum hoſte congrederetur. Quare exercitus cum videret, aut in acerbitate ſitis, ſibi eſſe contabeſcendum: aut extremum rei

tentan-

tentandum, imperatore etiam tacente facta eſt militibus fides eſſe pugnandum: & ita vt moræ impatientes, congreſſum cùm hoſte non petere, ſed extorquere ab imperatore velle viderentur. Res erat Mario aduerſus Teutones, & Ambromes: is autem Imperator ad Sicietes milites conuerſus cruore, inquit, à nobis potus hodie emendus eſt, aut veſtro, aut hoſtili, digitum ad flumen intendens. Quare æque ad pugnam, & vndam ſimul felici euentu illos duxit. Nam ſatis, & hoſtilis ſanguinis, & fluuialis aquæ ad ſacietatem, Victor Romanus militibus ſuppeditauit.

QVOD CONSILII SIT IN LOCO, aurum non capere, ſed profundere. XVII.

AIEBAT ſapientis eſſe auidos præcio emere: ita Mithridates Rex Ponti magno prælio à Lucullo victus, cum acie egreſſus, ita fugeret, vt hoſtem haberet veſtigio hæredem: multum auri onus ſequentibus obiecit: cæterum dum Romanus prædæ cupidus aurum diripit, maiorem prædam è manibus labi paſſus eſt.

QVOD RES SIT FORMIDOLOSA, praui hominis conſilium. XVIII.

NIHIL magis danti conſilium, fidem derogat, quàm ipſa ingenij, aut morum deprauatio. in literis igitur non obſtrepentium gregibus, ſed vni Phæbo credimus: is verò ſolet dicere non ſolum imperitos: ſed etiam imperitorum conſilia eſſe fugienda. Siquidem, & Troia fortè adhuc ſtaret, niſi Paris Veneris paruiſſet conſilio: Et Hercules certè miſerè

non interijſſet, niſi aut Deianira Neſſi Centauri conſilio fidem habuiſſet, aut Deianiræ coniugi ipſe Hercules. ne igitur dolus, nomen conſilij induat, deſciſcendum eſt in deliberatione, à veſana veteratorum opinione.

QVOD QVÆ TRIA SVNT BONORVM genera, illa omnia in vno deliteſcant conſilij nomine. XIX.

CVM Imperium, apud exteras gentes, culpa potius, quàm errore lapſum, non minori infamia, quàm vulnere iaceat exulceratum: ſolet dicere nullum eſſe remedio, in quo conſiſtat, niſi in conſilio locum: conſilij nomen eſſe glorioſum, rem verò ſalutarem. Hæc enim magni eſt ingenij: non paruæ doctrinæ: ſummæ verò beneficentiæ, & vtilitatis: illud omnia ſimul ſapit bonorum genera. Dictum enim conſilium, ſiue à conſulendo ſit, quòd tanquàm res optima, ſalutariſq; omnium conſulat rationibus, ac incommodis: ſiue à ſale dictum ſit potius, quòd in eo ſal contineatur ſapientiæ, quodq; admirabilis eſt ſalis vis, & in imperfectis animantibus necandis, & perfectis ſanandis: ea eſt conſilij natura, qua accerſuntur bona omnia, & exterminantur contraria. Nec à ſale ſolum conſilium, ſed ēt ſalarium, quaſi ſal neceſſarium eſt nominatum, & ſapientia quaſi ſapida ſcientia, eſt vocata. quod igitur eſt, & animi, & corporis, & fortunæ bonum, id omne ſimul in vno conſilij nomine, videtur deliteſcere.

Quòd

QVOD ROBVR IMPERII, IN conſilio ſit fundatum. XX.

QVANTVM quiſq; arti ſtudet, & doctrinæ, quæ artis eſt ſoboles: tantum conſilio eſt aut idoneus, aut alienus. interroganti igitur quale eſſet prudentis cōſilium, qualis dixit, fuit Samſonis capillus. Nam quemadmodum ille ſine capillo, robur ſtatim ſimul cum libertate, ac vita, amiſit virium: ita imperium ſapientis, enudatum conſilio, ſua ruat mole neceſſe eſt. atq; ſicut per capillos purgatur cerebrum: ita per conſilium ſordes è corpore reip. eluuntur omnes vitiorum. Nam quorſum, quod Samſon dum ei fuit capillus, nihil vnquàm potuit perhorteſcere? eſt conſilium veluti quædam eorum, quæ metuuntur malorum, medicina.

QVOD REIP. IGNE, ET AQVA magis neceſſarium ſit conſilium. XXI.

NON adeò ex Promethei igne homo, vt eſt in fabulis, vitam eſt mutuatus: quam apertum vitæ lumen nactus, ex cōſilio. Solitus eſt igitur dicere in rep. ſine igne Promethei frigere omnia. Ná quid eſt homo, ſine igne Promethei, id eſt ſine conſilio, niſi hominis tantum adumbratio, hoc eſt corpus ſiue lutum, nulla face rationis animatum? acres ſunt fabulæ in hæc noſtrá tempora morſus, & aculei: quæ magna conſilij laborant penuria. Quemadmodum non poteſt ignis, neq; humidus, neq; frigidus reddi, neq; vt cætera elementa putrefieri: ita non conſilium rebus, ſed res vniuerſæ ſubijciuntur conſilio.

ſilio. Surſum tendit ignis, conſilium neſcit iacere: ſordes Deniq; ignis purgat vniuerſas: conſilium item, omnes labes abſtergit vitiorum, nec vllo crimine pollui poteſt, & commaculari, ſi modo vim retineat conſilij.

QVOD MILES FIRMVS SIT, NON *qui ferro: ſed qui conſilio ſit armatus.* XXII.

CVM eſſent Imperatori imbecillo, cum Hoſte robuſtiſſimo manus conſligendæ, interrogatus quomodo Imperator cum hoſte ſe deberet gerere, vt Leopardus, reſpondit, cum Leone. Annuebat arti, & conſilio fidendum eſſe plus: quam hoſtium vim, & crudelitatem eſſe timendum. Capitale enim eſt inter vtramq; beſtiam odium: verum Leopardus impar viribus, vbi cum Leone eſt congreſſurus, cuniculum agit, cuius vtrinq; ad ingrediendum, & egrediendum latum ſit orificium: in medio autem tam auguſtus ſit tranſitus, vt vix ipſe euadat: Leo verò ne vix quidem. Simulata igitur in congreſſu fuga, Leo hoſtem inſequens, loci anguſtijs ſic intercipitur, vt neq; progredi, neq; regredi poſſit. tùm à tergo præſto adeſt Leopardus, qui Leonem dolo diſtentum diſcerpit, & laniat.

QVOD RES SIT FORMIDOLOSA, *perfidi conſilium.* XXIII.

NVNQVAM Palamedes, niſi perfido Vlyſſis conſilio fidem habuiſſet, lapidibus obrutus fuiſſet. inquiebant igitur in conſilij deliberatione, ab ijs maxime cauendum eſſe, quorum conſilium aſtutum, & callidum

ſit magis, quàm fidele. res feſtiuo patet Apologo. Equus quondam, aduerſus armatum Ceruum, bellum gerens, opem implorabat ab homine: perſuadet hic, vt forti ſit omnino, eiq; ſpem oſtendit victoriæ, ſi freni modo patiens ſit, & ſeſſoris. admiſſo igitur vna cum freno homine, auxilij loco in ſeruitutem pulſus, perenni etiamnum premitur ſeruitutis iugo. quorſum? Nihil eſt in conſilij deliberatione, magis quàm ab inſidioſa beneuolentia, cauendum.

QVOD MIRA SIT EORVM, QVI rectè Reip. conſulant paucitas. XXIV.

QVIDAM ſciſcitanti, quis bonus eſſet conſiliarius: is reſpondit, cui ſit, & Angenora mater, & Harpocrates pater. ex quo notauit eum eſſe demum bonum conſiliarium, in quo ipſe reuiuiſceret Pythagoras, qui eloquentiæ, & ſilentij fuit magiſter: Sapientiæ verò dominus. id Romani olim ſignificare volentes, Bullam in toga prætexta conſtituebat, veluti quoddam deliberandi monimentum. illa enim cordis effingebatur figura, vt eam gerentes adoleſcentuli, & ſe excordes eſſe, & tum ſe cordatos fore ſentirent, cum in Senatu, communis conſilij fierent participes. Non enim Caſtor, & Pollux magis nautis in turbulento mari, errantibus tranquillitatem nunciant, quàm aut cor conſilij Lumen, aut conſilium felicitatem adumbrat imperij: quæ non opibus definitur, ſed virtutibus.

QVOD CEDAT IMPERIVM conſilio. XXV.

SI laudatur Antiquitatis diligentia, in inueſtiganda eruditione, felicitas in reperienda, nec non ars in declaranda: non poſſum ſapientiſſimum illum Antiſtitem non laudare, qui ſtudioſiſſimus eſt Antiquitatis. Interroganti igitur quid poſſet plus imperio, conſilium dixit. Hoc ipſum, vt etiam in ſilentio, aſſeuerarent veteres, Conſum Deum conſiliorum conſtituerunt. hoc enim pacto, docebant omnia à Deo fieri, quæ conſilio fierent: imperium vero & obſequium, quia vtrumq; eſt hominis, cedere iccircò oportere conſilio, quod vim & auctoritatem habet non ingenij, ſed numinis. Scribit P. Victor Ædem conſilij ſubterraneam fuiſſe, quaſi lucem metuat conſilium, nec vſquàm melius adoleſcat, quàm in recundito. Dictum autem eſt conſilium à Conſo Deo, quòd nihil ſit neq; conſilium, niſi Conſi Dei auxilium: neq; conſulatus, niſi Conſi latus, id eſt magnus Deus. Ara eius, in Equeſtribus certaminibus, tantum patebat: reliquum verò tempus latebat. quo ſatis odorari fas eſt, Senatus conſilium non verbis: ſed factis eſſe aperiendum.

QVOD INFIDVM SIT VENALE Conſilium. XXVI.

IN ijs fluxa ferè, & dubia eſt fides, qui aurum anhelant. Interroganti igitur cuius fidele eſſet conſilium, aurum reſpondit, contemnentis ita laudatur Fabricius qui à Pyrrho muneribus, & pollicitationibus, nec corrumpi potuit: nec adduci, vt contra dignitatem patriæ, veniret in Regis ſententiam.

QVOD

QVOD CONSILII RATIO HISTORIA veluti quodam pabulo ſit depaſcenda. XXVII.

INTERROGATVS vnde prudens ſumeretur conſilium: ex memoria dixit, earum rerum, quæ antè fuerunt. Nam de futuris, præteritum tempus, vt ait Plato, nobis exempla ſuppedicat. Quare Hiſtorias tenere, optimum eſt ad conſilium perficiſcenti, viaticum.

QVOD TVRPE CONSILIVM conſilij nomen amittat. XXVIII.

CONSILIVM veteres Conſi Dei, dixerunt eſſe auxilium, vt docerent id verum demum eſſe conſilium, quod nulla turpitudine eſſet commaculatum. Itaq; ſciſcitanti cuidam auaro, quale deberet eſſe conſilium, honeſtum reſpõdit, non quæſtuoſum. Ariſtides igitur, vbi intellexit Themiſtoclis conſilium de frangendis Lacedæmoniorum opibus, incenſa clanculum ad Cytheum eorum claſſe, dixit perutile quidem eſſe: ſed minimè honeſtum. Quare id ſtatim ex præſcripto publico, tanquàm indignum, fuit inuolutum ſilentio. Sagacis enim: viri, & prouidi laudatur conſilium: non veteratoris, & perfidi.

DE INTELLIGENTIA TITVLVS SEXTVS.

ETSI pecuniæ nerui, & vires ſunt rerum agendarum: robur tamen imperij, non eſt in pecunijs, quibus ſapiens glorioſius ducit non egere, quàm abundare: ſed in rerum intelligentia verſatur, & doctrinæ ſagacitate. Neq; id ſolum, quia animi egere, miſerrima eſt egeſtas, ſed etiam quia intelligenti earum rerum, quas vulgò ſuſpiciunt, non difficilis eſt copia. Nam arti, & doctrinæ omnia parent, quæ in bonis, homines cenſent eſſe optima. Cum igitur principium, & fundamentum doctrinæ ſit ingenium, doctrina virtutis: virtus benè inſtitutæ Reip. nulla laus eſt imperij, quæ non videtur ex ſapientiſſimorum virorum ingenio proficiſci. Quantum autem quis virtuti, quantum doctrinæ, quantum publicæ vtilitati tribuit: tanti (vt ab aliorum infinitate, qui in Antiquiſſima, & præclariſſima BOSSIORVM familia floruerunt, recedam) certè ſummi, Ampliſſimi Magiſtratus Præſidis SIMONIS Boſſij ingenium omnibus ſcientiarum dotibus locupletatum faciat oportet. Senſit vrbs Mediolanum, duobus potiſſimum temporibus, quanta vis, in eo ſit ſapientiæ. vno, cùm in ſumma caritate annonæ, fames, qua mortales necabantur, eius vnius ſtudio eſt depulſa, quam vniuerſi ſimul ciues poterant augere, non poterant leuare: altero, in ipſa etiam peſtilentiæ contagione, quam ſemper, in ipſa periculi flamma, tanta pietate, tam ſingulari officio, totq; muneribus oppunauit, vt illam tandem vrbi vniuerſæ exitialem, non oppugnaſſe, ſed expugnaſſe videatur. victori tamen non minimum deinceps remanſit

manſit negotij. Nam cùm Agri propter peſtilentiam vaſti, & deſerti, nihil præter famem, & ſterilitatem ijs afferrent, qui ſuperſtites remanſiſſent: ingruit ſtatim tanta rerum inopia, & egeſtas, vt nihil Sol vnquam viderit ea vrbe neq; miſerius ſimul, neq; propter opem ſtatim à SIMONE Boſſio, quaſi de Cœlo allatam, Beatius. Sed quid ego hæc? is ille eſt, qui non adeo videtur ſperare, vel ſpirare potius, quàm ſpirando, dare rationes certas, & præcepta rerum agendarum, & vitandarum, quæ habet ordinem, & quaſdam in agendo, errare non patientes vias. Quocirca ille à Rege Regum PHILIPPO propter innumeras, ſingulareſq; eius virtutes, ad plurima publici muneris officia aſcitus: virtutis plus dignitatibus ſemper attulit, quàm illi dignitates attulerunt honoris. Magiſtratus demum ordinarij Præſes minimè appetens, nedum petens, factus: in eo munere continenter clementiam ſeueritate: & ſeueritatem clementia temperauit: iuſtitiam vero tanta perpetuò honeſtauit obſeruantia, morumq; grauitate, vt non iuriſprudentiæ alumnus videatur eſſe, ſed opifex, & auctor iuris, & iuſtitiæ. quorſum? Nihil eſt Imperium admi niſtrantis intelligentia, niſi imperij ſanitas, conſilij lumen, populi robur, & rerum omnium affluentia. Doctrina verò illa diuina, & recundita Cardinalis P. ALDOBRANDINI, ea eſt cui omnia obtemperant, cum armatura ſit rationis, quæ omnia vincit, atq; ſibi ſubijcit. Hæc eſt quæ, & iuſta cognoſcere, & vera loqui, & grandia operari docet. Quæ verò de intelligentia fudit Apophtegmata eorum, index hic eſt.

1 *Quòd Reſpirare ſine intelligentia non poſſit imperium.*
2 *Quòd ſinuoſa ſit ad doctrinam via.*
3 *Quòd Imperium par ſit Imperantis doctrina.*
4 *Quomodo paretur doctrina.*

Quòd

5 *Quòd cum ingenio creſcat, & decreſcat, eruditio.*

6 *Quòd fabulæ lumen fundant, ad res omnes, ingenij.*

7 *Quòd ad Imperandum maximè ſit accommodatus, qui plus ſapit.*

8 *Quòd Principis non minus auguſta ſit ſapientum familiaritas: quàm ſapientibus principum, glorioſa, & vtilis.*

9 *Quòd Principes in primis probentur, qui Muſarum ſunt alumni.*

10 *Quòd Principis gloria ſapientia eſt depaſcenda.*

11 *Quòd Palladis doctrina, Principum ſit inſtructio, & diſciplina.*

12 *Quòd, ea intelligentia maximè probetur Principis, quæ minimè norit otiari.*

13 *Quòd vir intelligens ex aliorum erroribus addiſcat, quid agendum ſit.*

14 *Quòd ad perfectam vitam nemo perueniat, niſi doctrinæ ſemita.*

15 *Quòd viri ſit eruditi quid res, tempuſq; poſtulet, odorari.*

16 *Quòd vir doctus quæ ſunt diuina, ſentit in humanis, & quæ ſunt humana, in diuinis.*

17 *Quòd nulla ſit, apud ſapientem voluptatis auctoritas.*

18 *Quòd alijs, alius ſit doctrinæ guſtus.*

19 *Quòd periculoſius ſit Bellum aduerſus ſapientem, quàm contra exercitum fortem.*

20 *Quòd Ars procreatrix ſit omnium ſcientiarum.*

21 *Quòd virtuti literariæ cedat res bellica.*

22 *Quòd exitum in literis inuenire ſit difficile.*

23 *Quòd arctiſſima ſit cum virtute ſocietas doctrinæ.*

24 *Quòd res ſit laborioſa doctrina.*

25 *Quòd Doctrinam qui habet, controuerſiarum omnium habeat medicinam.*

26 *Quòd ſolus ſapiens ſit diues.*

27 *Quòd ſapiens pater ſit patriæ.*

28 *Quòd Doctrina ſupremum honoris gradum ſibi vendicet.*

29 *Quòd Nefas ſit aduerſus viros doctos ſæuire.*

QVOD

QVOD RESPIRARE SINE INTELligentia non poſsit imperium. I.

VT Hominum decus eſt ingenium: ita ingenij lumen eſt æqui & iniqui intelligentia, qua vniuerſa reguntur. Nam ſicuti Abies, quæ arborum omnium eſt pulcherrima, ramis omnibus truncatis, vix relangueſcit, ſolo autem cacumine reſciſſo, ſtatim moritur: ita imperium, etſi patiens eſt plurimorum incõmodorum; vna tamen rerũ intelligentia ſublata, quia non eſt patiens ignorantiæ, ſtatim intereat oportet. interrogatus igitur vbi bene viueretur, ibi dixit, vbi nõ exulat ſcientia Non enim qui ſpirat, ſed qui vera, & falſa intelligit, vitam agit hominis. Itaq; Ariſt. ſolitus eſt dicere, hoc intereſſe inter doctos, & indoctos homines, quod intereſt inter viuos, & mortuos.

QVOD SINVOSA SIT AD doctrinam via. II.

QVIA ex doctrina virtus, ex virtute fœlicitas manat humanæ ſocietatis, qui doctrinam deſerunt in imperio, non ſolum videntur principium, & fundamentum cõmunis ſalutis deſerere: ſed etiã vulnerare. Sed multæ ſunt in doctrinæ campo, errorum flexiones, & diuerticula. conſueuit igitur dicere, curioſos in literis facere intelligendo, vt nihil intelligant. quæ enim adſunt negligunt, quæ remota ſunt, & retruſa perquirunt. Sic Thales ab Anicula eſt irriſus, qui cũ Aſtra contemplaretur, in Scrobem, cui imminebat incidit: tùm inquit illa, an quę ob oculos habes, nõ videns, quę procul abſunt potes videre? nõ minus artis eſt interdũ pauca quædã dediſcere: quàm multa addiſcere.

QVOD IMPERIVM PAR SIT *Imperantis doctrina.* III.

QVI gnarus eſt veri, & falſi, eorum habet cognitionem, quæ ſunt, fuerunt, & futura ſunt: ſed quia fons,& caput veritatis, poſt Deum immortalem, eſt ſapientia: ſolet ſapientiam rerum omnium menſuram eſſe dicere, ex quo ſolus ſapiens nouit imperium, in quo ſunt omnia, regere. Quare, & Scipio Africanus Pædiam Cyri, de manibus non ponebat: & Carolus Magnus ſtudia bonorum artium ſummo exarſit Studio. vterq; imperium magna cumulauit felicitate, ille in armis: hic in literis. Nam Parrhiſienſe Gymnaſium, & Papienſe, accerſitis, vndiq; doctiſſimis viris inſtituit.

QVOD DISSERENDO PARETVR *Doctrina.* IV.

CVM Scholaris quidam diſputantium refugeret circulos, nec adduci poſſet, vt cum repugnantibus diſſereret, facis addiſcendo, inquit, dum refugis diſputare, vt nihil addiſcas. quæ enim vera eſt doctrina, digladiandi neruis paratur, & viribus. Ideoq; Minerua ab antiquitate fingebatur armata, quia doctrina nullis, niſi acriter diſceptantibus fit præda.

QVOD CVM INGENIO CRESCAT, *& decreſcat eruditio.* V.

INTELLIGENTIA res eſt, ait, fundo, & fine carens, ex qua tantum hauritur, quanta cuiq; vis, eſt ingenij. Gordianus igitur Imperator, maiora

Imperij

Imperij præſidia poſuit in literis, quā in armis. illa enim impe rant: hæc imperata faciunt. Quare vſq; adeò literarum fuit ſtu dioſus, vt pluris fecerit librorū, quàm auri, vel argenti Theſau ros. habuit enim in Bibliotheca ſexaginta duo millia librorū.

QVOD FABVLÆ LVMEN FVNDANT, ad res omnes, ingenij. VI.

SICVTI quæ aperta ſunt, atra nocte obſcurantur omnia: ita ſplendore veritatis obſcura illuminantur vniuerſa. interroganti igitur cuidam qua luce, quæ latet imperij felicitas, eſſet inueſtiganda, veritatis reſpondit. Lampas veritatis lucet etiam in fabulis omni ſole clarius. illæ enim tectis verbis grandia: hic aperta luce, leuiſſima quæq; etiam illuminat. Nam vt ſtrabo refert, & Græci ſcriptores omnes teſtantur, lampades Muſarum, ſunt fabulæ, quibus reſtinctis, obſcuratur ingenij lumen. fuit enim Ars poetica, omnium diſciplinarum antiquiſſima. Hæc olim docuit quæcumq; ad veritatem, hominumq; mores pertinent. proinde vetres, ſolos poetas ſapientes eſſe arbitrabantur. illi enim in erudiendo magis fidem faciebant fabulis: quàm Philoſophi argumentis.

QVOD AD IMPERANDVM MAximè ſit accommodatus, qui plus ſapit. VII.

TANTI literæ apud Ægyptios, ſunt habitæ, vt qui rudis eſſet literarum, vir tantum inter mulieres: mulier verò inter viros haberetur. Quoniam igitur viri eſt, non mulieris imperare mortalibus. interroganti quid Princeps in armis ſibi deberet comparare ſubſidio: rerum re-

ſpondit intelligentiam. Nam Dux, & Imperator doctrinæ expers, quaſi caſſus lumine, cæcus cæcos ducit. id Philippus Macedonum Rex cùm odoraretur, Nato ſibi filio Alexandro, ei felicitatem à magiſtro Ariſt. non à Patre rege auſpicatus eſt, cuius extat Epiſtola hæc. Philippus Ariſt. ſalutem. ſcito filium mihi genitum eſſe: qua de re ingentem Dijs habeo gratiam: non adeo quia natus eſt, quàm quòd Ariſtotelis, à quo poteſt erudiri, natus eſt tempore. ſpero forè, vt edoctus abs te, dignus fiat regno paterno. Vale.

QVOD PRINCIPI NON MINVS Auguſta ſit ſapientum familiaritas, quàm ſapientibus Principum, glorioſa, & vtilis. VIII.

QVEMADMODVM homo, ratione cæteris præſtat animantibus: ita vir doctus eruditione imperitis hominbuis antecellit. Quare ſolitus eſt dicere, Principi non minus glorioſum eſſe eruditorum hominum commertium: quam Principum, erudito viro vtile. Præclarè id loquitur etiã præſens exempli teſtimonium. Archelaus.n. Macedonũ Rex, Euripidis familiaritate vehementer oblectatus eſt: ſed Poeta ab eo rediens, præ maleuolorum inuidia, ab eius canibus eſt laceratus. cuius rei ille dolorem, non ſolum lugubri veſte, ſed etiam crine tonſo: mutiſq; propter tã immane ſcelus, de medio ſublatis, demõſtrauit.

QVOD PRINCIPES IN PRIMIS probentur, qui Muſarum ſunt alumni. IX.

QVIA arbor non ſua, ſed ſurculi fert poma, inquiebat pluris eſſe principem bene educari, quàm magnificè naſci. vix enim perperam agunt Muſarum

amici:

amici: vix non ſapienter alumni. Quare M. Antonius inter Cęſares, ſingulari exarſit literarum ſtudio. diligenter enim admodum ſingulas quaſq; diſciplinas perdidicit, & præcipuè Grammaticen: in qua præceptores latinos habuit Traſium: Aprum: Palæmonem, & Proclum, cui tantum detulit, vt ad conſulatum vſq; prouexerit.

QVOD PRINCIPIS GLORIA, ſapientia eſt depaſcenda. X.

QVEMADMODVM ſine cibo, certus eſt viuentis interitus: ita & ratio ſine rerum intelligentia, & honor, ſine ratione, ſuo quaſi deſtitutus pabulo, ſtatim interit. Quocirca conſueuit dicere, principis gloriam ſapientia eſſe depaſcendam: duo ad eam, puero Principi addenda eſſe calcaria: vnum inſcitiæ pudorem, alterum doctrinæ decus: quorum in vtroq, acres ſunt aculei, & ſtimuli. Hi ſunt meo quidem iudicio, in principe Hiſtoriarum lectione, veluti quadam cote, exacuendi. ex ea enim virtutum omnium exempla depromuntur. Non hebetes, fateor, & ſtatuæ, & imagines heroum, ad gloriam habent aculeos: at Hiſtoria habet acerrimos. Nam tanto præſtat imaginibus, & ſtatuis, quantò corpori præcellit animus.

QVOD PALLADIS DOCTRINA Principum ſit inſtructio, & diſciplina. XI.

SCISCITANTI quæ ars, & doctrina eſſet Principis: non quæ ab Ariſtotele, aut Platone, ſed quæ à Pallade reſpondit eſt profecta. ideo enim Pallas

effingitur armata, vt intelligamus ſapienter magis, quàm fortiter eſſe pugnandum. Hac inſtructus C.Cæſar: Scipio & Fabius Maximus, nihil oppugnauit, quod non expugnauit. doctè id in primo Odyſſeæ Homerus. Nam quorſum quòd Iupiter vbi ad Æthiopes diuertit, Phœbum inter epulas ad cytharam canere iubet, Gigantæam victoriam? quia, vt hoc patet argumenti teſtimonio, nullus neq; eſt, neq; eſſe debet principibus iucundior, quàm Phæbi, & Muſarum ſenſus. Nam eorum, & concentu, & conſenſu ad fœlicitatem ducitur virtutum omnium chorus.

QVOD INTELLIGENTIA EA MAximè probetur Principis, quæ minimè norit otiari. XII.

SEMEN & cauſa felicitatis, in imperio ars eſt, & ſcientia principis. Nam quemadmodum male imperanti infelix eſt obſequium: ita qui imperanti prudenter, obtemperant, felices redduntur, & beati. Sciſcitanti igitur quæ ars laudaretur in Principe: ea dixit, quam, qui poſſidet Sol nuquam videt dormientem. quo reſponſo docuit rerum intelligentiam in Principe parum valere, niſi ſolers ſit, & diligens. Sic Pyrrhus Epirotarum rex laudatur, qui etſi omnes ſuæ ætatis Imperatores virtute, & gloria anteibat, ita tamen ſemper publico incubuit commodo, vt per omnem ætatem ab otio ſemper abhorruerit.

QVOD

QVOD VIR INTELLIGENS EX aliorum erroribus addiſcat quid agendum ſit. XIII.

SCISCITANTIBVS aliquando amicis, vbi maximè intelligentes redderentur homines, nullum reſpondit, viro prudenti locum vacare inſtructione, & diſciplina. fundamentum enim, & radices eruditionis, qui prudens eſt, habet altiores ferè in ſtultis, quàm in ſapientibus. Nam, vt placet Xenophonti ſicuti Oeconomicis; & amici proſunt, & inimici, eò quòd illi honeſta amant: hi turpia accuſant: ita qui ſtudioſus eſt, & vigilans, non ſolum ex bonorum exemplis, ſed etiam aliorum erratis fit eruditior.

QVOD AD PERFECTAM VITAM nemo perueniat, niſi doctrinæ ſemita. XIV.

QVEMADMODVM tranſlatũ verbum, & ſignificantius, & illuſtrius eſt proprio, ita per allegoriam, quæ omni iucunditate eſt referta, rerum figuræ, venuſtius, quàm ipſæ res ſpectantur. Quare, vt olim Iſocrates, ita ſapientiſſimus hic Antiſtes dicta, ac reſponſa ſua, artis ſale aſperſit. conſueuit igitur dicere eum demum artem tenere viuendi, qui calleret Homerum. nec falſo. Nam quorſum Homeri, & Ilias, & Odyſſea? illa vitæ, quæ in actione: hæc, quæ in contemplatione conſiſtit, habet figuram: quarum altera mundum cœleſtem: altera elementarem eſt complexa: quorum ex vtroq; quæ perfecta eſt, effloreſcit hominis vita.

QVOD VIRI SIT ERVDITI; QVID res, tempuſq; poſtulet odorari. XV.

SOLITVS eſt dicere ſtupidi hominis eſſe, aut ne hominis quidem, quid tempus poſtulet, non ſentire: ſapientis verò tantum, noſce tempori parere. idipſum veteres, vt docerent, Echinum ſapientis fecerunt ſymbolum. Nam ſola hæc animans momenta obſeruat temporum: quæ, quoniam alia, alio ſunt momento, iccirco ſapientis eſt mutare conſilium. illa autem animans duo latibuli extruit orificia, vnum Boreæ, alterum auſtro expoſitum. Borea igitur ſpirante, ei quod eſt expoſitum occludit, reſerat alterum: & contra Auſtro ingruente, pandit boreale, altero clauſo.

QVOD VIR DOCTVS, QVÆ SVNT diuina ſentit in humanis, & quæ ſunt humana, in diuinis. XVI.

EXORBET qui doctrina bene eſt munitus, omnes difficultates. inquiebat non eſſe ſapientem Reip. adminiſtratorem, qui aut cœlum, dum terræ inhiaret, negliget: aut terram deſpiceret, dum cœlo animum intenderet. Nam male conſulit Reip. qui vni parti officit, vt proſit alteri. cum igitur nihil ſit reſp. niſi veluti quædam hominum ſocietas cum Deo conſtricta: qui bonus eſt reip. adminiſtrator, ex Deo, & homine fœdus inire debet ſummæ beneuolentiæ: atq; res humanas cum diuinis arctiſſimo honeſtatis vinculo conſtringere. Teſtes ſunt Ægyptij. Nam cur Gryphem fecerunt Apollinis Hieroglyphicum? quia certè quidem imperatrix rerum omnium, quæ, & in cœlo,

in cœlo, & in terris dominatur, rerum eſt intelligentia, quam qui habet, Dei lumen ad rerum omnium Imperium habet. Hoc bellè per Gryphem veteres. Hæc enim animans, quia ex Aquilæ ceruice, & Leonis corpore conſtat, quarum altera ſacra eſt Iouis, alter Herculi: ſalſe videtur vtrumq; ius, quo vniuerſum regitur imperium, figurare.

QVOD NVLLA SIT APVD ſapientem voluptatis auctoritas. XVII.

QVEMADMODVM minus lumen, maiori hebeſcit lumine: nec ſplendor vllus eſt Lychni, in aperto ſole: ita in ſapientiæ iucunditate, ſenſus omnis relangueſcit voluptatis. ſolet igitur viros ſapientes, non mortales, ſed cum Platone, mortiferos nominare, eò quòd quaſi mortem ferentes, viuant in mortuo corpore. Hæc quippe, ſi ſapientum auctoritatem conſulimus, vis eſt ſapientiæ. Teſtis eſt Poetarũ auctoritas. Nam quorſum apud eos Gorgones illæ? volebant ſapientiam ſuo effingere colore. Nam vt qui Gorgones cernebant in lapides vertebantur: ita qui lumen habent ſapientiæ, non magis quàm lapides ipſi, irritari videntur vllo voluptatis lenocinio.

QVOD ALIIS ALIVS SIT Doctrinæ guſtus. XVIII.

DICEBAT alium à natura, ad aliam diſciplinam eſſe natum. Nec falſo. fruſtra enim nititur vis agentis, patiente indiſpoſito. hoc ſaltè veteres. Nam cur mulieres vetabantur olim Herculis ſacris intereſſe? quia cum mulierum callidiſſima, inter

viros ſit frigidiſſima, non eſt ad doctrinam nata: quo fit, vt ei intercluſa ſit ad Heroicam gloriam ipſa virtutis ſemita.

QVOD PERICVLOSIVS SIT BELLVM aduerſus ſapientem quàm contra exercitum fortem. XIX.

VBERTATIS materiam tollunt: vel anſam potius præbent in dicendo ariditatis, qui ad ſapientiæ commendationem, dicta Heroum non reguſtant. interroganti igitur quodnã omnium difficillimum eſſet bellum. non cui hoſtium obſtat reſpondit, aut naualis, aut terreſtris apparatus: ſed iudicium & ſapientia. ita Philippus Macedonum Rex, negotij plus habuit cum vno Demoſthene, quàm cum vniuerſa Græcia. quid? vetus eſt temporum Auctoritas. Nam cur Hercules vicit Leonem Nemæum? vt hoc argumento cognoſceremus intelligentiã non robori: ſed robur, in conflictu cedere intelligentiæ. Hercules enim Iouis cum ſit filius, ſapientiæ habet interprætationem: Leo autem Beſtiarum Rex, virium, quæ ſenſu, & robore: non conſilio ducuntur. In his veterum commentis forma, atq; vt ita dicam, facies quædam cernitur veritatis.

QVOD ARS PROCREATRIX ſit ſcientiarum. XX.

INTERROGANTI quæ breuis, & compendiaria eſſet ad doctrinam via: ea reſpondit, qua ducit ars. eſt enim ſine arte, ad ſcientias proficiſcentibus omnis intercluſus aditus. Nõ vulgare eſt Antiquitatis teſtimonium. Etenim quorſum, quod Iupiter dicitur Βουλαῖο

abſor-

abſorbuiſſe, & poſtea Mineruam è capite peperiſſe? Βουλὴ interpraetationem habet artis: Minerua doctrinæ, quorum inter vtramq; hoc intereſſe videtur, quod intereſt inter ſobolem, & parentem. Nam vt ratio artem, ſic ars doctrinam parit: ſitq; iccirco, vt ars naturam: doctrina artem imitetur.

QVOD VIRTVTI LITERARIÆ cedat res bellica. XXI.

SCISCITANTI quid omni militum robore eſſet validius, res dixit literaria. grauis certè, & cum exitu doctrinæ reſponſio. Nam ſi antiquitatem velimus reguſtare, cur doctrinæ Dea Pallas eſt vocata? vt cum Pallantem virum procerem, & robuſtiſſimum interfecit, hoc vno vocis teſtimonio intelligamus nullam vim, poſſe reniti doctrinæ. Nihil igitur eſt validius docto viro, qui nunquam minus eſt ſolus, quàm cum eſt ſolus. habet enim eos ſecum omnes, qui ſunt, & qui fuerunt, nec eorum conſilium ſolum, ſed etiam errata adiumento habet.

QVOD EXITVM IN LITERIS inuenire ſit difficile. XXII.

TEMPORVM vetuſtas, ne in commentando cenſeretur hebetior, numquam à commentatione artis, & ingenij eſt feriata. Hac oblectatus, ſolet dicere, literarum ſtudium eſſe ſine exitu. finis enim vnius ſcientiæ: Principum eſt futuræ. hoc ſalſè veteres. Etenim quare Muſæ ab Apolline, in gyrum ſic ducuntur, vt altera, alteram teneat? quia ars artem vehit, doctrina

doctrinam: omnes vero Muſæ in hoc vno conſentiunt, quòd montes incolunt, & nemora. Viri enim docti ſolitudine potius gaudent: quàm hominum turba, & conſuetudine.

QVOD ARCTISSIMA SIT CVM Virtute ſocietas doctrinæ. XXIII.

SOLET inter doctos virum bonum, & inter bonos viros, doctum in primis probandum eſſe dicere. eò quòd probitas ſine doctrina veluti quædam videatur fatuitas: & doctrina, ſine probitate, inſania. tanta igitur eſt vtriuſq; virtutis affinitas, vt vna Deo placere vix poſſit, ſine altera. Salſe id veteres, qui Nectare, & Ambroſia cibos definiebant Deorum. Nectar enim apud Platonem, virtutis habet ſignificationem: doctrinæ Amrboſia: qua vtraq; diuina voluntas, quaſi Deus eſt depaſcenda. hoc ipſum loquuntur Muſæ. Nam cur natæ cenſentur eſſe ex Ioue, & memoria? vt cum cœleſtis ſit doctrina, nihil minus ſit, quàm docti viri curare terrena.

QVOD RES SIT LABORIOSA Doctrina. XXIV.

QVONIAM plurimis difficultatibus circunſepta tenetur omnis doctrina, ſolet dicere ignauis, ad doctrinam nullum patere aditum. bellè id ſuis commentis docuerunt Pœtæ. Nam cur fingunt Palladem natam eſſe ex patre, ſine matre? vt hoc certe commento oſtenderent doctrinam non ex voluptate, qua capiuntur mulieres: ſed ex plurimo labore, quo viri vitam agunt, naſci.

naſci. Neq; alia de cauſa Palladi templa, apud Græcos in altiſſimis erigebantur arcibus, niſi vt docerent ſcientiam in arduo, & difficili loco eſſe ſitam: nec in vllis, niſi in magnis, & elatis habitare animis. Quod ſi tamen rei difficultas, cum vtilitatis conferatur magnitudine: multò cenſebitur vtilior, quàm difficilis. Etenim cur Pallas dicitur oleum inueniſſe? non adeo, quia artes omnes oleo, & lucubrationibus ad ſapientiam attingendam indigent: quàm quòd ſapientia veluti oleum, medicinam habet malorum omnium.

QVOD DOCTRINAM QVI HABET, controuerſiarum omnium habeat medicinam. XXV.

INQVIEBAT non eſſe fortunati, ſed docti viri, vbi in diſcordiæ flammam incidiſſet: controuerſiæ incendium, ac belli faces omnes reſtinguere. ita enim natura comparatum, eſt vt imperiti omnes, morem gerant peritioribus. graue, & elegans eſt antiquitatis teſtimonium. cur enim Phœbo Cithara, & plectrum ab antiquitate traditur? quia certè quidem docti viri eſt, abſona omnia in imperio, ſic in ordinem, & concordiam redigere, vt rationi conſonent, & legibus.

QVOD SOLVS SAPIENS SIT Diues. XXVI.

DVM rebus vtimur ſecundis, nec aduerſis affligimur, errata etiam videntur ornamenta ingenij. at quæ vera eſt laus, illa non in externis: ſed in inſitis bonis, conſiſtit. Quare diuites dicebat viros eſſe eos, non qui

bona

bona poſſiderent, ſed qui eſſent boni. Etenim cur ab Orpheo Pallas dicitur, mas ſimul, & fœmina? vt cenſeatur ſapiens, nullius eſſe indigens: nihilq; eſſe in humano genere, tam optabile, quod in ſapiente viro, videatur deſiderari poſſe.

QVOD SAPIENS PATER ſit patriæ. XXVII.

DOCTOS viros alio nomine Prometheos vocabat. hoc eſt hominum opifices, & architectos. Nihil enim eſt ignis Promethei, vt ait Plato, niſi doctrina: qua remota, ex homine truncus, & addita è trunco redditur homo. Etenim nihil eſt, ad mortalium mores formandos, neq; glorioſius, neq; admirabilius doctrina. Nam quorſum apud Poetas, qui nullum florem non ſequuntur doctrinæ, & ingenij, virga illa, cuius ex altero capite ictum recipientes, in beſtias mutabantur Vlyſſis Socij: & rurſus è belluis, in viros redibant, ex alterius ictu? hæc eſt doctrinæ vis, & iuſtitiæ, cuius duo ſunt extrema: Supplicium, & præmium: quorum altero homines ad beſtias: altero à beſtijs ad homines reuocantur, vtroq; enim fit, vt aberrantes in viam redeant, ac demum errata inſtauratione corrigant.

QVOD DOCTRINA SVPRÆMVM, in honore, gradum ſibi vendicet. XXVIII.

QVONIAM ſingulare bonum eſt, in doctrina: dicebat doctrinæ nullum honorem, niſi qui ſublimis, & elatus eſt, ſatis reſpondere. Nec eſt quòd quemquàm in dignitate, mordeat hæc reſponſio. aſſeuerauit enim id ipſum, graui argumento Alexander

der Macedonum Rex, multis ante ſeculis. Nam poſt Darium prælio victum: ſcrinium in regia præda ex auro, & gemmis fabricatum vbi comperit, veluti quoddam artis, & opulentiæ ſacrarium, ſciſcitantibus amicis ecquis eſſet tam pretioſi operis futurum opus: longè dixit magis præcioſa, in eo incluſa tenebo, Homerumq; in eo clauſit: dignus ipſe, qui talem nanciſceretur, qualem Nactus eſt Æacides, præconem.

QVOD NEFAS SIT, ADVERSVS Viros doctos ſæuire. XXIX.

NON eſt fabula hæc futilis, & inanis, ſed veluti quoddam flabellum veritatis: Vulcanum, quia Mineruę vim inferrè voluit, non ſolum deturbatum eſſe de cœlo, ſed eũ ẽt impietatis ſuæ, per ſingulos gratus claudicando admoueri. Solebat autem dicere Mineruam non ſolum Marte robuſtiorem, ſed etiam omni Venere eſſe amabiliorem. illud multis docuit monimentis: hoc probat etiam Alexander Macedonum Rex. Nam Thebis bello captis, cum vrbis excidio communis omnium ſtrages immineret, ſtatim edixit, vt à Pindari Penatibus, & eius familia, omnis vis bellica abſtineretur. omnia enim bona vna eruditio, dignitate exæquat: quæ non ſolum hominum iura, ſed etiam Dei religionem eſt complexa.

DE MEMORIA TITVLVS SEPTIMVS.

QVONIAM omnis rerum diſciplina ex memoria conſtat, non poſſum quem video plurimarum, maximarumq; ſcientiarũ cognitione florere, non ei ſummam memoriæ laudem tribuere. Nec falſo id quidem. probat autẽ idipſum ſui ordinis decus, & ornamentum grauiſſimo ſui exemplo Admodum Reu D. MATTHIAS Guarguantus Soncinas, Theologus, & Sacroſanctæ Theologiæ interpres præſtantiſſimus. Nam quemadmodum in nulla artium, & ſcientiarum regione hoſpes eſt, & peregrinus: ita etiam eo memoriæ locupletatus eſt theſauro, vt de re grauiſſima quaq; poſſit aptè, diſtincte & ornate ex tempore dicere. Nec id, quoniam per omnes ſcientiarum regiones peragrauit: ſed quoniam ſui, vt eſt, in oraculo Delphico; habet cognitionem. Nam, cùm homo ſit Dei templum: atq; vniuerſi domicilium: is demum vnus eſt, quem nihil ſubterfugit, qui ſui habet cognitionẽ. Cardinalem aũt is ALDOBRANDINVM ſemper ab ineunte ętate, commendauit ingenij acie, & memoria: altera, quia plura ſemper intellexit, quã quæ à magiſtris accepit: altera, quia ſic vniuerſa, quæ aut didicit, Aut lectitauit retinet, vt animata iam habeatur Bibliotheca, ex quo numquam fuit coniectura difficilis, illum natum eſſe ad imperandum. Quos enim Deus ad imperium euexit, ij ferè omnes admirabili claruerunt memoria. teſtis eſt, vt ab aliorum infinitate recedam, Cyrus Rex: Mithridates: Themiſtocles, ac deniq; apud Romanos Iulius Cæſar, qui vt ſcribit Plinius, conſueuit eodem tempore legere, dictare, & audire ſimul. de memoria igitur, quæ ex tanto Antiſtite colligimus, hæc ſunt.

Quòd

1 *Quod Magiſtra ſit rerum omnium memoria.*
2 *Qualis in addiſcente requiratur memoria.*
3 *Quòd nulla ſit maior, quàm ſui memoria.*
4 *Quòd nihil ſit ad rem literariam accommodatius memoria.*
5 *Quòd in Principe laudatur potiſſimum memoria.*

QVOD MAGISTRA SIT RERVM *Omnium memoria.* I.

DVRI eſt hominis, vel potius vix hominis, in ignorantiæ dedecore, morſus non ſentire infamiæ. interrogatus igitur quænam optima eſſet ſapientiæ ſchola, memoria dixit. Hæc enim non ſolum magiſtra, ſed etiam mater ab antiquis conſtituitur Muſarum. Quia, vt inquit cœleſtis ille, & diuinus Plato, nihil aliud eſt ſcire, quàm reminiſci. Quare vt ſcientia virtutum: ita memoria, anima eſt ſcientiarum omnium. nihil quippe eſt doctrina, niſi diſciplinæ memoria. Quare vna cùm memoria, cadat ſimul omnis ars oportet, & doctrina. ingenio ad percipiendum, memoria ad retinendum magis vtimur. ingenij verò acumen cum memoriæ tenacitate, quia fiunt ex contrarijs cauſis: raro ſimul inueniuntur. Teſtis eſt Bartolus ſummus I.C. qui ſingulari fuit ingenio: memoria fluxa, & caduca.

QVALIS IN ADDISCENTE *requiratur memoria.* II.

SICVTI miſer famulatus eſt, ſeruientis voluptati: ita infelix eſt diſciplina addiſcentis, ſine memoria. Sciſcitantibus igitur amicis, qualis in addiſcente deberet eſſe memoria, quale reſpondit

in Apol-

in Apollinis ſimulacro olim fuit tricipicium. Vnum enim erat lupi, ad rapacitatem: alterum Leonis, ad tenacitatem; tertium canis, ad fidelitatem. ea enim demum probatur memoriæ vis, quæ ſua rapacitate ſtatim omnia deuorat: & diu firma quadam retinet tenacitate, quæ rapuit: quæq; deniq; vſq; adeo ſit fida, vt minimè fallat ſibi ſidentem.

QVOD NVLLA SIT MAIOR quàm ſui memoria. III.

CVM quendam, de memoria comparanda, multi vrgerent ſolicitudinum aculei, & ſcrupuli, interrogaretq; cuiuſnam maximè probaret memoriam. Non Mithridatis dixit, qui duarum, & viginti; gentium linguas percalluit: nõ Themiſtoclis, qui recordabatur etiã, quæ nollet: quæ vellet non poſſet obliuiſci: non Cyri Regis, qui nomina cunctorum militum in exercitu tenebat: Non deniq; Senecæ, quæ in prodigium vſq; eò proceſſit, vt duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, referebat. Sed eius, in primis memoriam dixit ſe probare, qui ſui nunquam caperetur obliuione. Sapienter ille quidem. Nam qui ſui eſt memor, cum homo ſit Μικρόκοσμος, plurium rerum, quàm illi ſimul omnes, videtur recordari.

QVOD NIHIL SIT AD REM LITErariam accomodatius Memoria. IV.

QVONIAM acrius tenentur turpia, quàm honeſta: iccirco illa nunquàm in publicum ſunt admittenda: hæc ſemper inculcanda. ſcholas igitur, virtutis ædes nominabat, quas à iuuenibus

bus frequentari volebat. at interrogatus quem ad literas, vt maximè idoneum, potiſſimum probaret. Laudo inquit Heraclitum, qui tantum valuit ingenio, vt nunquam eguerit præceptore: Democritum amo, qui recundita ſic intellexerit, vt quæ ab alis acciperet, redderet meliora: ſolum Hortenſium facio ad rem literariam, prȩter omnes fuiſſe idoneum. Hic autem, vt refert Cic. tanta fuit memoria, vt quæ ſecum commemoratus eſſet, ea ſine ſcripto verbis iiſdem redderet, quibus agitaſſet.

QVOD IN PRINCIPE LAVDETVR potiſſimum memoria. V.

TENENDA eſt imperanti antiquitas, & exemplorum vis. Quare nonnullis ſciſcitantibus, qui optimi eſſent publicȩ ſocietatis adminiſtratores: qui reſpondit plurimarum ȩtatum pollent memoria. Hæc enim Reges, ac Principes plurimum commendat, ita ALEXANDER Farneſius, apud Belgas commendatur: qui plurimarum ét nationum linguas, ex quibus exercitum conflabat, adeo callebat, vt ſingularum oratores palam audiret, & reſponſum ſine interprete, ſuo quibuſq; ſermone ſeorſum redderet.

H DE

DE IVSTITIA
TITVLVS OCTAVVS.

QVAMVIS ætas longa effluxerint, minimum tamen vixiſſe videtur is, qui parum iuſtè vixerit. Nam ars viuendi, ſola eſt iuſtitia, qua detracta mortales ſpirare tantum, videntur, non etiam viuere. Quare ijs, qui anhelant viuere, nihil præter iuſtum eſt faciendum. Quæ enim vita eſt humana, non tempore: ſed virtute eſt definienda. Etenim hæc eius operatio eſt, non ſentire cum belluis: non vegetare cũ plantis: ſed recũdita intelligere: iuſta operari: & quæ vera ſunt loqui: in quorum anfractu, & gyro virtus omnis tenetur incluſa. Iuſtitiam verò cùm omnium ſit tueri, & defendere: tum maximè intereſt Principis. quid ita? quia Imperium reddit maxime diuturnum, & pacatum. Etenim iure agere volentibus, non opus eſt armis. Nec apud bonos iudices, magnopere opus eſt diſerto patrono. Nam iuſtitia facile exorat, quod cum difficultate patronus videtur orare. quid? pro iuſtis non eſt orandum: nec pro iniuſtis exorandum. Themiſtocles igitur Simonidi petenti, vt iniuſtam cauſam diceret, Neq; tu inquit, bonus Poeta fueris, ſi præter Muſicæ medulos: neq; ego princeps bonus, ſi contra leges pronunciem. Eam autem laudo in primis iuſtitiam, quam video in GALEATIO Vicecomite Senatore reſidere, hoc eſt quæ habeat ſapientiæ lumen: vim eloquentiæ, & artem imperandi. Sapiens autem debet eſſe, non ſolum iuſtus, Iudex: quia Dei immortalis perſonã induit, quo nihil eſt ſapientius. Nec par eſt, vt qui alios regat, ſit indiſertus. Nam vt præco mutus: ſic eſt magiſter populi ab eloquentia nudus.

Nec

Nec iuſtitia tantum, ſed etiam ars quædam requiritur iuſtitiæ adminiſtrandæ. Etenim vt mali medici corpora: ſic imperiti reip. adminiſtratores, concordiæ vincula diſſoluunt, atq; iura occidunt. Hæc ſunt quæ tanti Senatoris iuſtitia, & in Senatu Mediolani, & in Ticinenſi prætura, continenter ſpirauit: qui vrbem moribus collapſam, non ſolum reſtituit: ſed etiam tanta virtute honeſtauit, vt nihil magis, quàm prætoris pietatem, prudentiam, & integritatem videatur olere. Iuſtitia quippè, vt docet tantus Antiſtes, non ſolum eſt ars vicendi, ſed etiam omnium rerum poſſidendarum ſcientia. Hoc autẽ iure quis poſſidet, quod benè iuſteq; poſſidet. Male autem poſſidet, qui male vtitur. ergo malè vtens rebus, non eſt rerum proprietarius. Nihil enim eſt aliud iuſtitia, quàm non peccare: nihil eſt autem non peccare, niſi legis præcepta ſeruare. Quare Iuſtitia omnis in agendo, & abſtinendo conſiſtit, eò quòd honeſta præcipiantur, vetantur contraria. Sed venio ad Apophthegmata, quorum ſeries, & numerus hic eſt.

1 *Quòd fundamentum, ac firmamentum imperij ſit iuſtitia.*
2 *Quòd Ars viuendi ſit iuſtitia.*
3 *Quòd Imperij felicitas manat ex Principis iuſtitia.*
4 *Quòd iuſtitia decus ſit Aequitas.*
5 *Quòd Ars Imperandi ſit iuſtitia.*
6 *Quòd vtiliſſima virtutum omnium ſit Iuſtitia.*
7 *Quòd nulla Imperij Arx aduerſus omnia mala ſit firmior, quã iuſtitia.*
8 *Quòd Iuris ſcientia in actione magis, quã in cognitione conſiſtit.*
9 *Quòd ſola Iuſtitia nouit malis bene vti.*
10 *Quòd Iuſtitia æque teneantur Imperantis obſequio, atq; Imperio.*
11 *Quòd Iuſtitia, ars ſit tempeſtates, & diſcordias tollendi.*
12 *Quòd Iniquius ſit à Iuſtitia recedere, q̃ nunquã iuſtitiã attigiſſe.*
13 *Quòd Iuſtitia dei magis, quàm hominis ſit virtus.*

H 2 *Quòd*

14 *Quòd Iuſtitia mentem, voluntatẽ, & conatus hominũ perficiat.*
15 *Quòd Iuſti ſit iudicis alijs, non alios conſulere.*
16 *Quòd nihil neq; deo, neq; hominibus gratius ſit iuſtitia.*
17 *Quòd iuſtus iudex improbos non damnat, ſine dolore.*
18 *Quòd nulla eſt aurium: plurima oculorũ apud Iudicẽ auctoritas.*
19 *Quòd qualis ſit Iudex, tale ſit iudicium.*
20 *Quòd ſolus vir iuſtus norit ſuſtinere, & abſtinere.*
21 *Quòd ſemper addere, numquam demere ſoleat Iuſtitia.*
22 *Quòd conſtans ſit Iuſtitia.*
23 *Quòd apud virum iuſtum, nullum ſit diſcrimen perſonarum.*
24 *Quòd Lex eadem voce omnes alloquatur.*
25 *Quòd Iuſtitia in Imperio lumen, aut Numen potius habeat felicitatis.*
26 *Quòd nihil ſit æquabilius iuſtitia.*
27 *Quòd pœna magis, quàm præmio ſeruetur Iuſtitia.*
28 *Quòd virtutum omnium columna, ſit Iuſtitia.*
29 *Quòd vir iuſtus forti ſit ante ponendus.*
30 *Quòd Iuſtitia cælum, & terram ſua compleat gloria.*
31 *Quòd nulla Principis auctoritas debeat extra fines euagari Iuſtitia.*

QVOD FVNDAMENTVM, AC *Firmamentum Imperij ſit Iuſtitia.* I.

RATIONIS auctoritate, & veritatis teſtimonio adductus, ſolitus eſt dicere: neq; iuſtitiam multum, ſine principis auctoritate, & auctoritatem principis, ſine iuſtitia minimum valere. Etenim nihil eſt iuſtitia, ſi fidem modo habemus antiquis, niſi vis, & robur Atlantis, quo mundum, hoc eſt imperij globum ſuis ſuſtentabat humeris. Quare qui princeps dat operam, vt ex æquo, & bono, ſuum quiſq; teneat, omniq; diligentia, & ſtu-

dio curat, vt ciuitas, moribus, induſtria, facultatibus augeatur, is certe omni adminiſtrationis gloria dignus eſt. Hoc olim qui præſtiterunt, quia ſapere plus, quàm fert natura hominis videbantur: eos antiquitas Semideos appellabat.

QVOD ARS VIVENDI SIT Iuſtitia. II.

QVI vir iuſtus eſt, nunquàm niſi alieniſſimo reip. tempore moritur. Nam eius vita multorum eſt inſtructio, & diſciplina. Verùm cùm alij, aliò intenti viuant, interroganti cuidam quomodo omnibus eſſet viuendum. iuſtè reſpondit. Sola enim iuſtitia, ars eſt & viuendi, & vincendi. laudatur itaq; Camillus dictator Romanus, pro remiſſo pedagogo virgis, ab ijs pueris cæſo, quos ſecum transfuga, in caſtra hoſtium duxerat. Et iure laudatur. Nam Phalarios, quos vi expugnare non poterat, iuſtitia & clementia poſtquàm inſtruxit, nullo deinceps negotio, in ſuam ditionem accepit. fit enim pugna ad propugnandam, non euertendam iuſtitiam.

QVOD IMPERII FELICITAS manat ex Principis Iuſtitia. III.

ACVLEATVS ſermo, ſi ſale modo aſperſus ſit ingenij, magis oblectat, quàm mordet. Cum igitur Gallorum proceres, neſcio quam auram aucuparentur gloriæ, ex Regni amplitudine: atq; iccircò interrogarent, quodnam regnum maximè laudaret, iuſti reſpondit Regis. Aculeus hic plenus ingenij, & amoris, neminem adeo oblectauit, quàm quem momordit. atq; cùm animatum ius ſit Rex, & iuſtitia ſpirans, publicæ fœlicitatis

ſons, & caput bonorum omniumpariter ſit oportet. Nam, vt Academici veteres, & Peripatetici affirmant alienum bonum eſt iuſtitia. Iuſtus igitur Princeps priuata commoda publicæ vtilitati habet poſtpoſita: mauultq; populi ſalutem ſine vita, quàm vitam ſiue eius ſalute.

QVOD JVSTITIÆ DECVS SIT Æquitas Principis. IV.

DICEBAT iuſtitiam eam facile iniuriæ exulcerari vulnere, quæ à Principe nulla adiumenta caperet æquitatis. Nam vt ait Ennius ſummum ius, ſumma eſt iniuria. Quocirca Princeps qui æquitate nititur, quia; in Iudicijs, æquitas principis amabilior eſt iure, leges non dirimit, ſed ſingulari commendat pietati, & beneuolentiæ.

QVOD ARS IMPERANDI eſt Iuſtitia. V.

QVIA Reip. ſplendorem nullis maculis poteſt aſpergere, qui iuſtè imperat, artem omnem imperandi, vna definiebat iuſtitia, quod ipſum quaſi Aſſeuerans Democritus, conſueuit dicere duo eſſe in ſinu iuſtitiæ numina, quæ cuncta gubernarent, præmium ſcilicet, & pœnam. Nec falſò; Nam duabus his rebus, vt fert vetus Solonis ſententia, reſp. omnis ſuſtinetur.

QVOD

QVOD VTILISSIMA VIRTVTVM *omnium ſit Iuſtitia.* VI.

EST publicæ vtilitatis alumna iuſtitia, cuius niſi ſuccus, & ſanguis vigeat in imperio: adulterinus color eſt imperij, pigmentis colluſtratus. Sciſcitanti igitur, quis iuſtè clauum teneret imperij: qui nemini reſpondit, nocet: prodeſt verò omnibus. grauis verò ſententia; qua quod vulgus Philoſophorum inculcat, retunditur, qui ſolam iuſtitiam, inter omnes virtutes, aſſerunt eſſe alienum bonum. Nam iuſtitiæ nomine continetur ius etiam naturale, quo cautum eſt, vt quiſq; ſibi melius, quàm alteri cupiat eſſe.

QVOD NVLLA IMPERII ARX, *aduerſus omnia mala, ſit firmior quàm Iuſtitia.* VII.

FACES malorum omnium vincit iucunditate bonitatis, Iuſtitia. Itaq; felix eſt ea ciuitas, quæ in officina, conflata eſt Iuſtitiæ. Interroganti igitur cuidam, quæ mœnia eſſent munitiſſima Imperij: quorum ait ex clauſtris vis omnis pellitur, & iniuria. at quæ illa eſſent, cum interrogaretur, iura eſſe dixit. quo reſponſo impetum omnem armorum, rei literariæ voluit ſuccumbere. Nec temerè. Teſtes ſunt inclitæ illæ Lycurgi leges: quibus quamdiu obtemperarunt Spartani, maximi omniũ Græcorum extiterunt: vbi verò eas abrogari permiſerunt: ſtatim eorum corruit imperium: omniq; libertate enudati, ijs paruerunt, quibus ante Imperarant.

QVOD JVRIS SCIENTIA IN Actione magis, quàm in cognitione conſiſtat. VIII.

ARIDA eſt, & ſpinoſa iuſtitiæ diſciplina, quæ verbis funditur à Principe, ſine teſtimonio vitæ. Itaq; interrogantibus amicis, quem inter Principes, maxime iuſtum eſſe exiſtimaret principem: eum dixit, qui potius vitæ exemplo populum, quàm vocis teſtimonio inſtrueret. Populus enim ad ſui diſciplinam, acrem habet ſenſum oculorum: aurium hebetem. Quare optimè, vt teſtatur Diodorus Siculus, ſe gubernare putabant Ægyptiaci Reges, ſi parendo legibus, populum potius excitarent ſua virtute, quàm legum auctoritate.

QVOD SOLA JVSTITIA NOVIT malis bene vti. IX.

INQVIEBAT non rumoris aura afflatum eſſe, ſed ſapientiſſimorum iudicio inculcatũ, bonas leges, ex malis ortas eſſe moribus: vt hoc puto, te ſtatum apud omnes relinqueret, nihil tam tetrum eſſe, & immane, ex quo aliquid fas non eſſet haurire commodi. apertè ille: occultè idipſum, ſed falſe Anacharſis. Nam quorſum, quòd diceret leges Aranearum telis eſſe ſimillimas? habet res non minimum ingenij: Plurimum doctrinæ. Nam ſicuti illæ texuntur telæ, ex veneno Aranearum: quæ tamen medicinam habent veneni: ita lex, etſi ex hominum peccato originem trahit, remedium tamen parit peccati.

QVOD IVSTITIA ÆQVE TENEATVR *Imperantis obſequio, atq; imperio.* X.

INTERROGANTI quis, inter principes, maximè iuſtus eſſet: qui reſpondit, nullas leges populo præſcribit, quibus ipſe parere recuſarit. Sic Lycurgus nihil alijs edixit, quod non ante ipſe ſeruarit. Hinc æquiſſimum illud Romani Prætoris edictum. Quod quiſq; ius in alterum ſtatuerit, ipſe eodem quoq; iure vtatur. quorſum? Hic demum nouit alijs imperare, non qui codicem deuorauit, ſed qui Epicteti Philoſophi dicto parere didicit. Hic enim duobus his verbis, leges omnes fere clauſit. ἀνέχȣ, καὶ ἀπέχȣ hoc eſt, ſuſtine, & abſtine.

QVOD IVSTITIA ARS SIT Tempeſtates, & diſcordias Tollendi. XI.

SOLITVS eſt dicere vnam eſſe, in controuerſiarum procellis, & tempeſtatibus, diſcordiarum medicinam, iuſtitiam. Nam vt morbi incolumitas: ſic iniutiæ iuſtitia, ſummum eſt remedium, & medicina. Hoc Poetarum fabulæ, præclaris lineamentis, nec inanibus verborum floribus. Etenim cur Æolus fingitur apud eos, imperare ventis? vt hoc certe ſignificarent, virum iuſtum in tractando imperij clauo, nullis perturbationum tempeſtatibus cedere, ſed imperare. eſt enim iuſtitia Æoli ars, & ſcientia, quam qui habet, non ſolum, in aduerſa tempeſtate nouit nauigare, ſed etiam enauigare.

QVOD INIQVIVS SIT A IVSTITIA recedere, quàm nunquàm Iuſtitiam attigiſſe. XII.

QVONIAM qui liqueſcunt voluptate, fluuntq; mollitia, difficile poſſunt, vbi in viam redierint, iter inſiſtere iuſtitiæ: dicebat grauius eos, qui à via deflectunt, quàm qui illam nunquàm attigerunt peccare. Vetus eſt Magorum Ænigma: non aſpiciendum eſſe retro. hoc ipſum ſapit Pythagoræ prouerbium. per eandem viam, ne reuertitor. quorſum? non eſt flagitioſis, poſtquam reſipuerint, redeundum ad vomitum. Nam vt grauius ægrotant, qui de integro in morbum incidunt: quàm qui eò nunquàm ſunt liberati: ita qui ad virtutem acceſſerunt, periculoſius illam deſerunt, quàm qui eam nunquàm attigerunt. Hùc pertinet Orphei fabula: qui retro reſpiciens, non ſolum Euridicen iterum amiſit: ſed etiam ſpem recuperandi.

QVOD IVSTITIA DEI MAGIS, quàm hominis ſit virtus. XIII.

IS eſt ſapientiſſimus ille Antiſtes, qui ſatietatem aurium vincit ſuauitate orationis: ſuauitatem magnitudine vtilitatis. ſolet igitur, ne longè abeam, Iuſtitiam Dei immortalis, bonorum diſciplinam eſſe dicere. quod ipſa antiquitas maximè videtur comprobare. Nam cur Ioui Templa olim erigebantur tecto perforato? vt hoc ipſum docerent veteres: virtutem Iouis hoc eſt Iuſtitiam, nõ à mortalibus, ſed de cœlo eſſe petendam. eſt igitur Iuſtitia virtutum omnium regina: Cæteræ verò virtutes

tutes iuſtitiæ comites, & pediſſequæ: quarum corona cincta tenetur, & ſtipata. nihil ab antiquis recedo. quorſum enim ſolis Ædes, apud Romanos rotunda, niſi quod circulari virtute hoc eſt omnium corona tenetur circumſcepta? Hæc Regibus dignitatem: infimis gratiam parit: nec ſolum anſam ſupplicibus porrigit orandi, ſed etiam neceſſitatem exorandi.

QVOD IVSTITIA MENTEM: voluntatem, & conatus hominum perficiat. XIV.

IVSTITIAM dicebat iccircò Prudentiæ: Temperantiæ, & Fortitudini anteponendam: quòd prima mentem: alteram appetitum: vltima conatus: iuſtitia verò hæc omnia ſimul perficiat. Nec debilis, aut fluxa eſt ratio. Nam cur Plato, in Dialogo vndecimo de legibus affermauit, à tribus dijs prodire artes imperij omnes, id eſt à Vulcano, Pallade, & Marte? quia Hæc eſt iuſtitiæ trinitas, quæ Ioui ſemper aſſiſtit. Pallas enim ſcientiæ: Vulcanus voluntatis, Mars potentiæ habet interpretationem: quarum ſi deſideratur aliqua, nihil eſt, quod iuſtum, in dictis factiſq; poſſit probari. Pallas quippe ducis: Mars Artificis: Vulcanus miniſtri, in humana ratione perſonam induit: quorum omniũ inſtructio, & diſciplina vna eſt iuſtitia.

QVOD IVSTI SIT IVDICIS ALIIS non alios conſulere. XV.

QVI nouit veterum Hiſtorias, aut fabulas, nouit item dubitationum ſcrupulos, ex mortalium animis omnino abſtergere. Dubitanti quales eſſe deberent Iu-

dices

dices, Dixit prauos eos eſſe iudices, qui iuſtitiam ſenſu definirent aurium. Lutulentum quippè eſt, quod in eius ſenſus ſordibus volutatur iudicium. Teſtes ſunt Cretenſes, apud quos Iudicis effingebatur ſimulacrum, auribus deſtitutum. quid ita? quia, cùm aures ſint diſciplinæ ſatellites, hoc monimento docebant, non eſſe iudicis, ab alijs diſciplinam haurire iudicandi: ſed pleno ore firmamentum fundere iudicij.

QVOD NIHIL NEQ. DEO, NEQ. Hominibus gratius ſit Iuſtitia. XVI.

CVM de multis, ac varijs imperandi adminiculis oratio incidiſſet, dixit aridam, & ſpinoſam omnem eſſe, ſine iure reip. adminiſtrationem: ſine iuſtitia, infauſtam & infelicem. Nam cùm hoc inoleuit malum, vt quæ Deo placeant, ea ferè diſpliceant hominibus: & contra nihil gratum ſit hominum generi, quod non graue, & acerbum ſit Deo immortali: ſola iuſtitia Deo ſimul placet, & hominibus. Quare Iuſtitia lux eſt orbis terrarum, arx omnium gentium: atq; Dei immortalis ornamentum. Etenim cur Themis Dea, vt in Theogonia ait Heſiodus, Iouis coniuux eſſe cenſetur? Themis, fas ſiue iuſtitia interpretatur, ab Orpheo οὐρανόπαις, eſt cognominata. hoc eſt cœli filia. ex ea natæ ſunt in primis Æquitas, lex, & pax. θέμις autem apud Græcos fas ſignificat. Hac à Superis iudicantur homines: Hac ab ipſis hominibus ſoluuntur rerum ciuilium fora.

QVOD

QVOD IVSTVS IVDEX IMPROBOS non damnat ſine dolore. XVII.

CVIDAM interdum interroganti, quid iudici in re capitali, & litigioſa maximè eſſet moleſtum, non aculei reſpondit, rabularum aut offenſionis ſuſpicio: ſed homo cùm ſit, hominem perdere. Quia enim dolet, inuitus iudicat: & quia iudex conſtituitur iuſtitiæ cauſa: non iuſtitia gratia iudicis, lubens item iudicat. Nam commiſerationis fundamentum ſimul, & vindictæ vna eſt iuſtitia. quæ enim naturalis eſt iuſtitia, ad commiſerationem: quæ verò eſt legalis, ad vindictam magis exacuit iudicem. id bellè in Symbolis, Crocodili imago, cum verbis plorat, & deuorat. Etenim neq; vt clemens poteſt non dolenter neq; vt iudex non lubens, aduerſus reum capitis, ius dicere.

QVOD NVLLA EST AVRIVM; plurima oculorum apud Judicem auctoritas. XVIII.

DOCTRINA iuris, & iuſtitiæ exacuitur ſapientiæ ſubtilitate, & ingenij. Cùm rabularum turba aliquando obſtreperet iudici, dixit ſenſum aurium in iudice hebeſcere: vigere autem in primis oculorum. non vulgaris eſt, apud Græcos auctoritas. Nam cur Iouis ſtatua ſpectabatur in area ſubdiali, ad quam Priamus aufugit, in Troiæ excidio, quæ eſſet ſine auribus, haberetq; in fronte oculos tres? vt cùm cenſeatur Iupiter eſſe exemplar iuris, & iuſtitiæ, atq; ſupremus iudex, admonerentur mortales, non eſſe iudicis obloquentium calumnijs aures:

ſed

ſed oculos legibus habere apertos: quæ numerantur tres intueri, & examinare, quarum vnam eſt ab ipſo rerum Imperare Deo, Diuina: altera ab ipſa rerum procreatrice, naturalis: tertia à Principe, qui obſes eſt iuſtitiæ ſimul, & æquitatis, ciuilis.

QVOD QVALIS SIT IVDEX tale ſit Iudicium. XIX.

DICEBAT facile eſſe ſine iuris prudentia, ius peruertere: dicere difficile. eò quod iudicare hoc eſt ius dicere, nemo poteſt ſine iuris cognitione. Quæ igitur adſunt, in rudi iudice inſcitiæ maculæ, illæ non ſunt ſine iuſtitiæ vulnere. Nota, nec inelegans eſt fabula. Nam quorſum, quòd cùm Phæbus, & Pan carmine certarent, Midas iudex inter vtrumq; electus, ſententiam contra Phæbum tulit? vt certè hoc intelligamus, aut etiam fateamur, eum qui male intelligit, non poſſe in iure dicendo, benè ſentire. Quare quod veteri fertur prouerbio, Midas aſininas aures habet: id plane ad ſtolidos omnes pertinet Iudices.

QVOD SOLVS VIR IVSTVS NOVIT Suſtinere, & abſtinere. XX.

ARCTA, & aſtricta in iuſtitiæ diſciplina, ſunt virtutum omnium præcepta. Quare eum inquiebat omni flagitio vitam polluere, & dedecore maculare, qui iuſtitiam non coleret. Teſtes ſunt veteres illi doctrinæ, & ingenij patres. Nam cur ab ijs Nemeſis iuſtitiæ Dea conſtituebatur, cuius expreſſa imago ſpectabatur, altera manuum Equi frenum: altera cubitatem menſu-

menſuram tenens? quia non vna eſt, ſed omnis virtus, iuſtitia. Hæc quippe frenum inijcit cupiditati, atq; menſuram parti adhibet iraſcibili, quam pariter in dictis, factiſq; rationi conſentaneam tenet.

QVOD SEMPER ADDERE, NVNquàm demere ſoleat iuſtitia. XXI.

SOLITVS eſt dicere nullam, in foro peſtem iuſtitiæ eſſe capitaliorem, quàm venale iudicium. Non poteſt enim ea reſp. eſſe ſalua, in qua fas eſt nundinari ius. Itaq; apud Thebanos ſpectabatur Iudicis ſtatua ſine manibus. Ante enim capere non debet iudex, quàm velit capi. Præclarum eſt in M. Curio iuſtitiæ lumen, qui contra ius neq; capere, neq; capi potuit. Legatos igitur Samnitum cum ſuis pecunijs remiſit, inquiens malle ſe dominari aurum habentibus, quàm auro abundare.

QVOD CONSTANS SIT Iuſtitia. XXII.

INTERROGANTI quid in omni rerum viciſſitudine, conſtans eſſet potiſſimum, iuſtitia reſpondit. Non Apollinis verũ magis, quàm hoc Antiſtitis fuit reſponſum. quod inconſtans eſt, & non permanens, virtus non eſt: cũ virtus neſciat mutari. In ſacris igitur Ægyptiorum literis, Palma Hieroglyphicum conſtituitur iuſtitiæ. non quia ea planta eſt incorrupta; ſed quia docet, quales ij eſſe debent, qui iuſtitiam adminiſtrant. Nec enim, qui iuſtus eſt, ſpe, aut metu ducitur, ſed officio. itaq; Fabricius, cum Nicias Pyrrhi Epyrotarum Regis medi-

cus, promiſiſſet ſe pacta mercede, præminiſtraturum Pyrrho venenum, non ſolum non deflexit ab æquitate: ſed etiam Pyrrhum Hoſtem literis monuit, vt à domeſticis caueret inſidijs.

QVOD APVD VIRVM IVSTVM, *nullum ſit diſcrimen perſonarum.* XXIII.

EST iuſti viri vlceribus iuſtitiæ mederi, atq; tela iniuriarum depellere, ſine diſcrimine. Quare dicere conſueuit, à viro iuſto parentes etiam ignorari: eò quòd non ſanguis, non natura: ſed virtus ſolum, apud eum plurimum habeat ponderis. Hoc ſentientes Ægyptij Cupreſſum fecerunt Hieroglyphicum iuſtitiæ. Nam Arbor hæc à radice ad faſtigium recto ſurgit ſtipite, æquales ad ſummum, ramos æquo ordine & magnitudine habens, & ita, vt alius, alium non excedat: ſed pari æqualitate omnes reddens. Hæc autem planta iccircò iuris, & iuſtitiæ imago conſtituitur: quia omnes æqualiter iuri, & iuſtitiæ ſubijciuntur.

QVOD LEX EADEM VOCE *omnes alloquatur.* XXIV.

VNVS eſt communis, apud ciues omnes, defenſionis mucro, lex ſcripta. Hæc enim æque, & bonos viros omnes ſuo patrocinio defendit, & oppugnat improbos. Solet igitur dicere eos legibus derogare, qui legum recuſant ſubijci auctoritati. plena ſalis eſt Allegoria. Nam quorſum quòd Gorgones tres vnum tantum habebant oculum, quo per vices vtebantur ſingulæ? tres ſunt ciuitatis ordines, qui omnes vno iure tanquam, vna

rerum

rerum omnium vtuntur lampade: Senatus, plebs, & equeſtris ordo. Nec enim minus lex infimis, quàm ſummis viris ſolet fauere. Hanc fundit Principi Deus: mutuatur à Principe Senatus: à Senatu Magiſtratus: ac deniq; à magiſtratu vniuerſus populus.

QVOD JVSTITIA IN JMPERIO Lumen, aut numen potius habeat fælicitatis. XXV.

INQVIEBAT in iuſtitiæ ambitu, & gyro fœlicitatem omnem imperij clauſam teneri. Nihil ſapiente Principe dignius dici potuerat. Teſtis eſt, non ieiuna plebecula: ſed tota prope Græcia. Hæc enim tanti fecit iuſtitiam, vt Ariſtide Athenienſi ſuperſtite, qui prouincias omnes ſua complebat iuſtitia, ætas aurea, ab ea ſit vocata: qua Saturno quondam Rege, cenſebantur omnia mortalibus ex voto cedere. itaq; cum ei ſummus honor decerneretur: nec glorioſius quicquam inueniri poſſet iuſtitia, nunquàm deinceps alio, quàm Iuſti appellatus eſt nomine. Explorata quippè eſt, in ea virtute felicitas imperij. Nam, vt veteri fertur prouerbio, ſemper feliciter cadunt Iouis Taxilli.

QVOD NIHIL SIT ÆQVABILIVS Iuſtitia. XXVI.

ILLIS, qui alijs imperarent, eam incudem inquiebat in primis eſſe tundendam, vt cauerent, ne ſtateram tranſcenderent. Etenim ad firmamentum imperij, nihil eſt accommodatius iuſtitiæ æquabilitate.

bilitate. Id vt doceret Lycurgus, Spartanum agrum, ita ciuibus ſuis eſt partitus, vt ex rep. quaſi familiam fraterno ſtudio, & domeſtico propè amore conſtituerit. nonnullis igitur mirantibus videtis, inquit, quàm multorum fratrum, qui ex æquo prædia, inter ſe ſunt partiti, ſit Laconicus ager.

QVOD POENA MAGIS, QVAM Pretio ſeruetur Iuſtitia. XXVII.

INTERROGANTIBVS quibuſdam, quid iuſtitiæ maximè reniteretur, indulgentia dixit. ideo enim iuſtitia, ab antiquis fingebatur Mucronem, dextra diſtrictum tenens: quia blandimenta ignorat ſanguinis, aut familiaritatis. nec vulgaris in eo eſt Populi Romani auctoritas. Nam cur M. Manlio, qui ſæpius in acie ſtetit pro patria: qui ſeruauit Capitolium: qui ſtrenuè dimicans aduerſa vulnera accepit, vix vlla gratia eſt relata: grauis contra pęna, propter ambitionis ſuſpicionem, eſt irrogata? quia acriores ſunt iniuriæ, quàm beneficij ſenſus. itaq; cum ſupra dignitatem priuati ciuis, aliquid optare crederetur, populi ſuffragio damnatus eſt. Hæc enim, in Imperio iuſtitiæ vis eſt, vt illum minimè ferat, qui legibus, cùm opus ſit, cogi non poſſit. itaq; etſi inuito iuſtè non datur beneficium: ei tamen iuſtè infligitur pœna. illud enim eſt conſilij: hoc autem neceſſitatis.

QVOD

QVOD COLVMNA VIRTVTVM, omnium ſit iuſtitia. XXVIII.

AFFINIS culpæ ſit is oportet, qui quod res eſt, in moribus non intelligit. Nam ignorans non culpam ſolum admittit inſcitiæ: ſed etiam quia errat, crimen iniuriæ. Quare iuſtiſſimus ille Antiſtes errantes omnes ſolet, iniuſtitiæ inſimulare nomine. Solus enim iuſtus conſtans cùm ſit, in ratione: nec ab ea poſſit reuelli, non errat. Nam hoc eſt iuſtitia, inter virtutes morales, quod eſt terra, inter elementa. Hæc enim, vt placet Philoſophis, æquè librata in medio, proprijs conſiſtit poderibus. Sola quippe elementorum eſt immobilis, atq; bonorum omnium venter. quid? Cardo virtutum omni eſt iuſtitia, quæ ſola neſcit mutari, quæq; ſola alijs vtilitates omnes parit.

QVOD VIR JVSTVS FORTI SIT anteponendus. XXIX.

CVM de fortitudine, & Iuſtitia arderet quæſtio, vtra virtutum alteri eſſet anteponenda, dixit hoc intereſſe inter iuſtitiam, & fortitudinem: quod intereſt, inter Iouem, & Herculem. propterea, quod illa Iouis: hæc virtus ſit Herculis. Quare longo interuallo Iuſtitiam fortitudini: non fortitudinem iuſtitiæ antepoſuit. Nec falſo. Ibi enim, vbi viget iuſtitia, numquàm opus eſt viro forti: at vbi eſt fortitudo, ibi opus eſt iuſti viri præſidio. Armorum quippe, iure vti volentibus, nulla eſt auctoritas: iuris verò etiá, in belli incendio, magna eſt neceſſitas.

QVOD IVSTITIA COELVM, ET Terram ſua compleat gloria. XXX.

AIEBAT Tanti eſſe iuſtitiam, vt ad eius gloriam non ſatis eſſet, in omni orbe terrarum, loci. vetus eſt prouerbiũ. οὔτε γῆς, οὔτε οὐρανοῦ ἅπτεται. neq; cœlum, neq; terram attingit, de eo, qui ſit tam iniuſtus, vt neq; humanum, neq; diuinum ius attingat. Iuſtitia enim cœlum, Terramq; tuetur. Nam cùm terra parens ſit vtilitatis, cœlum honeſtatis, vtrumq; communis vitæ, & ſalutis: horum ſimul omnium ars, & diſciplina ſola eſt iuſtitia.

QVOD NVLLA PRINCIPIS AVCTOritas debeat, extra fines euagari Iuſtitiæ. XXXI.

INQVIEBAT Principi extra fines, & terminos iuſtitiæ, nullam aciem remanere auctoritatis. eò quòd imperans contra ius, aduerſus ſe, tanquam ferrum acutum, excitet imperium. Quare Antiochus Tertius Aſiæ Rex, omnibus regni ſui Ciuitatibus ſcripſit, ſi quid in literis, quæ eius nomine ſcriberentur, eſſet, quod legibus aduerſum videretur, crederent ſe inſcio eiuſmodi ſcriptas eſſe literas, & iccircò ijs non parerent. Non enim Rex imperando poteſt plus, quàm ius, & ratio, cùm nihil ſit aliud Regis auctoritas, quàm animata, atq; loquens iuſtitia.

DE

DE AMICITIA TITVLVS NONVS.

CVM in ciuili ſocietate, nulla magis retineatur concordia, quàm quæ beneuolentiæ conſtringitur vinculo: nec ibi, vbi eſt amicitia, ſit ſeditioni, in quo conſiſtat locus; nullum eſt neq; diuturnum, neq; laudabile magis imperium, quàm quod amicitiæ præſidio enetur circunſeptum. quæ res, in hoc fauſtiſſimo Pontificau, ad ALDOBRANDINORVM gloriam, ingens ccedit cumulus. ea quippè beneuolentia CLEMENS VIII. omnibus colitur, & obſeruatur, vt omnes, eo ſedente, ſibi ideantur in cœlo eſſe. Huius cœleſtem ac diuinam virtutem naximè attingit Ampliſs. Cardinalis PETRVS ALDORANDINVS, qui cùm vniuerſam etiam Hiſpaniam ompleri ſui amore, & obſeruantia: tùm Regiæ in eum, beuolentiæ, vnus inſtar omnium obſes eſt IO. FERNANDEZ elaſchius Comes Stabilis, qui inclinatis his temporibus, imerij gubernacula militiæ, togæq; ſic tractauit, vt non ſolum ultis commodis recrearit, ſed etiam plurimis virtutibus hoeſtarit Imperium. Sed vt eò, vnde digreſſa eſt, redeat mea ratio. Nihil eſt amicitia, niſi amor mutuus. Quare niſi terq; amat, neuter eſt amicus. Atq; quia amicus eſt alter idem, ihil eſt Principi ad Imperij robur, & diuturnitatem accomnodatius, principum amicitia. Nam qui amicum intuetur, anquam exemplar aliquod intuetur ſui, omniaq; ab eo xplorata habet ſalutis præſidia. qui igitur non deſtituitur micis, & abſens adeſt, & egens abundat, & imbecillis fit robuſtus, atq; quod dictu eſt difficilius, mortuus viuit. Vetus

QVOD JVRIS SCIENTIA IN Actione magis, quàm in cognitione conſiſtat. VIII.

ARIDA eſt, & ſpinoſa iuſtitiæ diſciplina, quæ verbis funditur à Principe, ſine teſtimonio vitæ. Itaq; interrogantibus amicis, quem inter Principes, maxime iuſtum eſſe exiſtimaret principem: eum dixit, qui potius vitæ exemplo populum, quàm vocis teſtimonio inſtrueret. Populus enim ad ſui diſciplinam, acrem habet ſenſum oculorum: aurium hebetem. Quare optimè, vt teſtatur Diodorus Siculus, ſe gubernare putabant Ægyptiaci Reges, ſi parendo legibus, populum potius excitarent ſua virtute, quàm legum auctoritate.

QVOD SOLA JVSTITIA NOVIT malis bene vti. IX.

INQVIEBAT non rumoris aura afflatum eſſe, ſed ſapientiſſimorum iudicio inculcatū, bonas leges, ex malis ortas eſſe moribus: vt hoc puto, te ſtatum apud omnes relinqueret, nihil tam tetrum eſſe, & immane, ex quo aliquid fas non eſſet haurire commodi. apertè ille: occultè idipſum, ſed ſalſe Anacharſis. Nam quorſum, quòd diceret leges Aranearum telis eſſe ſimillimas? habet res non minimum ingenij: Plurimum doctrinæ. Nam ſicuti illæ texuntur telæ, ex veneno Aranearum: quæ tamen medicinam habent veneni: ita lex, etſi ex hominum peccato originem trahit, remedium tamen parit peccati.

QVOD IVSTITIA ÆQVE TENEATVR Imperantis obſequio, atq; imperio. X.

INTERROGANTI quis, inter principes, maximè iuſtus eſſet: qui reſpondit, nullas leges populo præſcribit, quibus ipſe parere recuſarit. Sic Lycurgus nihil alijs edixit, quod non ante ipſe ſeruarit. Hinc æquiſſimum illud Romani Prætoris edictum. Quod quiſq; ius in alterum ſtatuerit, ipſe eodem quoq; iure vtatur. quorſum? Hic demum nouit alijs imperare, non qui codicem deuorauit, ſed qui Epicteti Philoſophi dicto parere didicit. Hic enim duobus his verbis, leges omnes fere clauſit. ἀνέχου, καὶ ἀπέχου hoc eſt, ſuſtine, & abſtine.

QVOD IVSTITIA ARS SIT Tempeſtates, & diſcordias Tollendi. XI.

SOLITVS eſt dicere vnam eſſe, in controuerſiarum procellis, & tempeſtatibus, diſcordiarum medicinam, iuſtitiam. Nam vt morbi incolumitas: ſic iniuriæ iuſtitia, ſummum eſt remedium, & medicina. Hoc Poetarum fabulæ, præclaris lineamentis, nec inanibus verborum floribus. Etenim cur Æolus fingitur apud eos, imperare ventis? vt hoc certe ſignificarent, virum iuſtum in tractando imperij clauo, nullis perturbationum tempeſtatibus cedere, ſed imperare. eſt enim iuſtitia Æoli ars, & ſcientia, quam qui habet, non ſolum, in aduerſa tempeſtate nouit nauigare, ſed etiam enauigare.

QVOD INIQVIVS SIT A IVSTITIA recedere, quàm nunquàm Iuſtitiam attigiſſe. XII.

QVONIAM qui liqueſcunt voluptate, fluuntq; mollitia, difficile poſſunt, vbi in viam redierint, iter inſiſtere iuſtitiæ: dicebat grauius eos, qui à via deflectunt, quàm qui illam nunquàm attigerunt peccare. Vetus eſt Magorum Ænigma: non aſpiciendum eſſe retro. hoc ipſum ſapit Pythagoræ prouerbium. per eandem viam, ne reuertitor. quorſum? non eſt flagitioſis, poſtquam reſipuerint, redeundum ad vomitum. Nam vt grauius ægrotant, qui de integro in morbum incidunt: quàm qui eò nunquàm ſunt liberati: ita qui ad virtutem acceſſerunt, periculoſius illam deſerunt, quàm qui eam nunquàm attigerunt. Hùc pertinet Orphei fabula: qui retro reſpiciens, non ſolum Euridicen iterum amiſit: ſed etiam ſpem recuperandi.

QVOD JVSTITIA DEI MAGIS, quàm hominis ſit virtus. XIII.

IS eſt ſapientiſſimus ille Antiſtes, qui ſatietatem aurium vincit ſuauitate orationis: ſuauitatem magnitudine vtilitatis. ſolet igitur, ne longè abeam, Iuſtitiam Dei immortalis, bonorum diſciplinam eſſe dicere. quod ipſa antiquitas maximè videtur comprobare. Nam cur Ioui Templa olim erigebantur tecto perforato? vt hoc ipſum docerent veteres: virtutem Iouis hoc eſt Iuſtitiam, nō à mortalibus, ſed de cœlo eſſe petendam. eſt igitur Iuſtitia virtutum omnium regina: Cæteræ verò virtutes

tutes iuſtitiæ comites, & pediſſequæ: quarum corona cincta tenetur, & ſtipata. nihil ab antiquis recedo. quorſum enim ſolis Ædes, apud Romanos rotunda, niſi quod circulari virtute hoc eſt omnium corona tenetur circumſepta? Hæc Regibus dignitatem: infimis gratiam parit: nec ſolum anſam ſupplicibus porrigit orandi, ſed etiam neceſſitatem exorandi.

QVOD IVSTITIA MENTEM: voluntatem, & conatus hominum perficiat. XIV.

IVSTITIAM dicebat iccircò Prudentiæ: Temperantiæ, & Fortitudini anteponendam: quòd prima mentem: alteram appetitum: vltima conatus: iuſtitia verò hæc omnia ſimul perficiat. Nec debilis, aut fluxa eſt ratio. Nam cur Plato, in Dialogo vndecimo de legibus affermauit, à tribus dijs prodire artes imperij omnes, id eſt à Vulcano, Pallade, & Marte? quia Hæc eſt iuſtitiæ trinitas, quæ Ioui ſemper aſſiſtit. Pallas enim ſcientiæ: Vulcanus voluntatis, Mars potentiæ habet interprætationem: quarum ſi deſideratur aliqua, nihil eſt, quod iuſtum, in dictis factiſq́; poſſit probari. Pallas quippe ducis: Mars Artificis: Vulcanus miniſtri, in humana ratione perſonam induit: quorum omniũ inſtructio, & diſciplina vna eſt iuſtitia.

QVOD IVSTI SIT IVDICIS ALIIS non alios conſulere. XV.

QVI nouit veterum Hiſtorias, aut fabulas, nouit item dubitationum ſcrupulos, ex mortalium animis omnino abſtergere. Dubitanti quales eſſe deberent Iu-

dices, Dixit prauos eos eſſe iudices, qui iuſtitiam ſenſu definirent aurium. Lutulentum quippè eſt, quod in eius ſenſus ſordibus volutatur iudicium. Teſtes ſunt Cretenſes, apud quos Iudicis effingebatur ſimulacrum, auribus deſtitutum. quid ita? quia, cùm aures ſint diſciplinæ ſatellites, hoc monimento docebant, non eſſe iudicis, ab alijs diſciplinam haurire iudicandi: ſed pleno ore firmamentum fundere iudicij.

QVOD NIHIL NEQ. DEO, NEQ. Hominibus gratius ſit Iuſtitia. XVI.

CVM de multis, ac varijs imperandi adminiculis oratio incidiſſet, dixit aridam, & ſpinoſam omnem eſſe, ſine iure reip. adminiſtrationem: ſine iuſtitia, infauſtam & infelicem. Nam cùm hoc inoleuit malum, vt quæ Deo placeant, ea ferè diſpliceant hominibus: & contra nihil gratum ſit hominum generi, quod non graue, & acerbum ſit Deo immortali: ſola iuſtitia Deo ſimul placet, & hominibus. Quare Iuſtitia lux eſt orbis terrarum, arx omnium gentium: atq; Dei immortalis ornamentum. Etenim cur Themis Dea, vt in Theogonia ait Heſiodus, Iouis coniuux eſſe cenſetur? Themis, fas ſiue iuſtitia interpretatur, ab Orpheo οὐρανίαις, eſt cognominata. hoc eſt cœli filia. ex ea natæ ſunt in primis Æquitas, lex, & pax. θέμις autem apud Græcos fas ſignificat. Hac à Superis iudicantur homines: Hac ab ipſis hominibus ſoluuntur rerum ciuilium fora.

QVOD

QVOD IVSTVS IVDEX IMPROBOS non damnat ſine dolore. XVII.

QVIDAM interdum interroganti, quid iudici in re capitali, & litigioſa maximè eſſet moleſtum, non aculei reſpondit, rabularum aut offenſionis ſuſpicio: ſed homo cùm ſit, hominem perdere. Quia enim dolet, inuitus iudicat: & quia iudex conſtituitur iuſtitiæ cauſa: non iuſtitia gratia iudicis, lubens item iudicat. Nam commiſerationis fundamentum ſimul, & vindictæ vna eſt iuſtitia. quæ enim naturalis eſt iuſtitia, ad commiſerationem: quæ verò eſt legalis, ad vindictam magis exacuit iudicem. id bellè in Symbolis, Crocodili imago, cum verbis plorat, & deuorat. Etenim neq; vt clemens poteſt non dolenter neq; vt iudex non lubens, aduerſus reum capitis, ius dicere.

QVOD NVLLA EST AVRIVM; plurima oculorum apud Judicem auctoritas. XVIII.

DOCTRINA iuris, & iuſtitiæ exacuitur ſapientiæ ſubtilitate, & ingenij. Cùm rabularum turba aliquando obſtreperet iudici, dixit ſenſum aurium in iudice hebeſcere: vigere autem in primis oculorum. non vulgaris eſt, apud Græcos auctoritas. Nam cur Iouis ſtatua ſpectabatur in area ſubdiali, ad quam Priamus aufugit, in Troiæ excidio, quæ eſſet ſine auribus, haberetq; in fronte oculos tres? vt cùm cenſeatur Iupiter eſſe exemplar iuris, & iuſtitiæ, atq, ſupremus iudex, admonerentur mortales, non eſſe iudicis obloquentium calumnijs aures:

ſed

ſed oculos legibus habere apertos: quæ numerantur tres intueri, & examinare, quarum vnam eſt ab ipſo rerum Imperatore Deo, Diuina: altera ab ipſa rerum procreatrice, naturalis: tertia à Principe, qui obſes eſt iuſtitiæ ſimul, & æquitatis, ciuilis.

QVOD QVALIS SIT IVDEX tale ſit Iudicium. XIX.

DICEBAT facile eſſe ſine iuris prudentia, ius peruertere: dicere difficile. eò quod iudicare hoc eſt ius dicere, nemo poteſt ſine iuris cognitione. Quæ igitur adſunt, in rudi iudice inſcitiæ maculæ, illæ non ſunt ſine iuſtitiæ vulnere. Nota, nec inelegans eſt fabula. Nam quorſum, quòd cùm Phœbus, & Pan carmine certarent, Midas iudex inter vtrumq; electus, ſententiam contra Phœbum tulit? vt certè hoc intelligamus, aut etiam fateamur, eum qui male intelligit, non poſſe in iure dicendo, bene ſentire. Quare quod veteri fertur prouerbio, Midas aſininas aures habet: id plane ad ſtolidos omnes pertinet Iudices.

QVOD SOLVS VIR IVSTVS NOVIT Suſtinere, & abſtinere. XX.

ARCTA, & aſtricta in iuſtitiæ diſciplina, ſunt virtutum omnium præcepta. Quare eum inquiebat omni flagitio vitam polluere, & dedecore maculare, qui iuſtitiam non coleret. Teſtes ſunt veteres illi doctrinæ, & ingenij patres. Nam cur ab ijs Nemeſis iuſtitiæ Dea conſtituebatur, cuius expreſſa imago ſpectabatur, altera manuum Equi frenum: altera cubitatem menſu-

menſuram tenens? quia non vna eſt, ſed omnis virtus, iuſtitia. Hæc quippe frenum inijcit cupiditati, atq; menſuram parti adhibet iraſcibili, quam pariter in dictis, factiſq; rationi conſentaneam tenet.

QVOD SEMPER ADDERE, NVNquàm demere ſoleat iuſtitia. XXI.

SOLITVS eſt dicere nullam, in foro peſtem iuſtitiæ eſſe capitaliorem, quàm venale iudicium. Non poteſt enim ea reſp. eſſe ſalua, in qua fas eſt nundinari ius. Itaq; apud Thebanos ſpectabatur iudicis ſtatua ſine manibus. Ante enim capere non debet iudex, quàm velit capi. Præclarum eſt in M. Curio iuſtitiæ lumen, qui contra ius neq; capere, neq; capi potuit. Legatos igitur Samnitum cum ſuis pecunijs remiſit, inquiens malle ſe dominari aurum habentibus, quàm auro abundare.

QVOD CONSTANS SIT Iuſtitia. XXII.

INTERROGANTI quid in omni rerum viciſſitudine, conſtans eſſet potiſſimum, iuſtitia reſpondit. Non Apollinis verũ magis, quàm hoc Antiſtitis fuit reſponſum. quod inconſtans eſt, & non permanens, virtus non eſt: cũ virtus neſciat mutari. In ſacris igitur Ægyptiorum literis, Palma Hieroglyphicum conſtituitur iuſtitiæ. non quia ea planta eſt incorrupta; ſed quia docet, quales ij eſſe debent, qui iuſtitiam adminiſtrant. Nec enim, qui iuſtus eſt, ſpe, aut metu ducitur, ſed officio. itaq; Fabricius, cum Nicias Pyrrhi Epyrotarum Regis medi-

cus, promiſiſſet ſe pacta mercede, præminiſtraturum Pyrrho venenum, non ſolum non deflexit ab æquitate: ſed etiam Pyrrhum Hoſtem literis monuit, vt à domeſticis caueret inſidijs.

QVOD APVD VIRVM IVSTVM, *nullum ſit diſcrimen perſonarum.* XXIII.

EST iuſti viri vlceribus iuſtitiæ mederi, atq; tela iniuriarum depellere, ſine diſcrimine. Quare dicere conſueuit, à viro iuſto parentes etiam ignorari: eò quòd non ſanguis, non natura: ſed virtus ſolum, apud eum plurimum habeat ponderis. Hoc ſentientes Ægyptij Cupreſſum fecerunt Hieroglyphicum iuſtitiæ. Nam Arbor hæc à radice ad faſtigium recto ſurgit ſtipite, æquales ad ſummum, ramos æquo ordine & magnitudine habens, & ita, vt alius, alium non excedat: ſed pari æqualitate omnes reddens. Hæc autem planta iccircò iuris, & iuſtitiæ imago conſtituitur: quia omnes æqualiter iuri, & iuſtitiæ ſubijciuntur.

QVOD LEX EADEM VOCE *omnes alloquatur.* XXIV.

VNVS eſt communis, apud ciues omnes, defenſionis mucro, lex ſcripta. Hæc enim æque, & bonos viros omnes ſuo patrocinio defendit, & oppugnat improbos. Solet igitur dicere eos legibus derogare, qui legum recuſant ſubijci auctoritati. plena ſalis eſt Allegoria. Nam quorſum quòd Gorgones tres vnum tantum habebant oculum, quo per vices vtebantur ſingulæ? tres ſunt ciuitatis ordines, qui omnes vno iure tanquam, vna

rerum

rerum omnium vtuntur lampade: Senatus, plebs, & equeſtris ordo. Nec enim minus lex infimis, quàm ſummis viris ſolet fauere. Hanc fundit Principi Deus: mutuatur à Principe Senatus: à Senatu Magiſtratus: ac deniq; à magiſtratu vniuerſus populus.

QVOD IVSTITIA IN IMPERIO Lumen, aut numen potius habeat fœlicitatis. XXV.

INQVIEBAT in iuſtitiæ ambitu, & gyro fœlicitatem omnem imperij clauſam teneri. Nihil ſapiente Principe dignius dici potuerat. Teſtis eſt, non ieiuna plebecula: ſed tota prope Græcia. Hæc enim tanti fecit iuſtitiam, vt Ariſtide Athenienſi ſuperſtite, qui prouincias omnes ſua complebat iuſtitia, ætas aurea, ab ea ſit vocata: qua Saturno quondam Rege, cenſebantur omnia mortalibus ex voto cedere. itaq; cum ei ſummus honor decerneretur: nec glorioſius quicquam inueniri poſſet iuſtitia, nunquàm deinceps alio, quàm Iuſti appellatus eſt nomine. Explorata quippè eſt, in ea virtute felicitas imperij. Nam, vt veteri fertur prouerbio, ſemper feliciter cadunt Iouis Taxilli.

QVOD NIHIL SIT ÆQVABILIVS Iuſtitia. XXVI.

ILLIS, qui alijs imperarent, eam incudem inquiebat in primis eſſe tundendam, vt cauerent, ne ſtateram tranſcenderent. Etenim ad firmamentum imperij, nihil eſt accommodatius iuſtitiæ æquabilitate.

bilitate. Id vt doceret Lycurgus, Spartanum agrum, ita ciuibus ſuis eſt partitus, vt ex rep. quaſi familiam fraterno ſtudio, & domeſtico propè amore conſtituerit. nonnullis igitur mirantibus videtis, inquit, quàm multorum fratrum, qui ex æquo prædia, inter ſe ſunt partiti, ſit Laconicus ager.

QVOD POENA MAGIS, QVAM Pretio ſeruetur Iuſtitia. XXVII.

INTERROGANTIBVS quibuſdam, quid iuſtitiæ maximè reniteretur, indulgentia dixit. ideo enim iuſtitia, ab antiquis fingebatur Mucronem, dextra diſtrictum tenens: quia blandimenta ignorat ſanguinis, aut familiaritatis. nec vulgaris in eo eſt Populi Romani auctoritas. Nam cur M. Manlio, qui ſæpius in acie ſtetit pro patria: qui ſeruauit Capitolium: qui ſtrenuè dimicans aduerſa vulnera accepit, vix vlla gratia eſt relata: grauis contra pęna, propter ambitionis ſuſpicionem, eſt irrogata? quia acriores ſunt iniuriæ, quàm beneficij ſenſus. itaq; cum ſupra dignitatem priuati ciuis, aliquid optare crederetur, populi ſuffragio damnatus eſt. Hæc enim, in Imperio iuſtitiæ vis eſt, vt illum minimè ferat, qui legibus, cùm opus ſit, cogi non poſſit. itaq; etſi inuito iuſtè non datur beneficium: ei tamen iuſtè infligitur pœna. illud enim eſt conſilij: hoc autem neceſſitatis.

QVOD

QVOD COLVMNA VIRTVTVM, omnium ſit iuſtitia. XXVIII.

AFFINIS culpæ ſit is oportet, qui quod res eſt, in moribus non intelligit. Nam ignorans non culpam ſolum admittit inſcitiæ: ſed etiam quia errat, crimen iniuriæ. Quare iuſtiſſimus ille Antiſtes errantes omnes ſolet, iniuſtitiæ inſimulare nomine. Solus enim iuſtus conſtans cùm ſit, in ratione: nec ab ea poſſit reuelli, non errat. Nam hoc eſt iuſtitia, inter virtutes morales, quod eſt terra, inter elementa. Hæc enim, vt placet Philoſophis, æquè librata in medio, proprijs conſiſtit poderibus. Sola quippe elementorum eſt immobilis, atq; bonorum omnium venter. quid? Cardo virtutum omni eſt iuſtitia, quæ ſola neſcit mutari, quæq; ſola alijs vtilitates omnes parit.

QVOD VIR IVSTVS FORTI SIT anteponendus. XXIX.

CVM de fortitudine, & Iuſtitia arderet quæſtio, vtra virtutum alteri eſſet anteponenda, dixit hoc intereſſe inter iuſtitiam, & fortitudinem: quod intereſt, inter Iouem, & Herculem. propterea, quod illa Iouis: hæc virtus ſit Herculis. Quare longo interuallo Iuſtitiam fortitudini: non fortitudinem iuſtitiæ antepoſuit. Nec falſo. Ibi enim, vbi viget iuſtitia, numquàm opus eſt viro forti: at vbi eſt fortitudo, ibi opus eſt iuſti viri præſidio. Armorum quippe, iure vti volentibus, nulla eſt auctoritas: iuris verò etiã, in belli incendio, magna eſt neceſſitas.

QVOD IVSTITIA COELVM, ET Terram ſua compleat gloria. XXX.

AIEBAT Tanti eſſe iuſtitiam, vt ad eius gloriam non ſatis eſſet, in omni orbe terrarum, loci. vetus eſt prouerbiũ. οὔτε γῆς, οὔτε οὐρανοῦ ἅπτεται. neq; cœlum, neq; terram attingit, de eo, qui ſit tam iniuſtus, vt neq; humanum, neq; diuinum ius attingat. Iuſtitia enim cœlum, Terramq; tuetur. Nam cùm terra parens ſit vtilitatis, cœlum honeſtatis, vtrumq; communis vitæ, & ſalutis: horum ſimul omnium ars, & diſciplina ſola eſt iuſtitia.

QVOD NVLLA PRINCIPIS AVCTOritas debeat, extra fines euagari Iuſtitiæ. XXXI.

INQVIEBAT Principi extra fines, & terminos iuſtitiæ, nullam aciem remanere auctoritatis. eò quòd imperans contra ius, aduerſus ſe, tanquam ferrum acutum, excitet imperium. Quare Antiochus Tertius Aſiæ Rex, omnibus regni ſui Ciuitatibus ſcripſit, ſi quid in literis, quæ eius nomine ſcriberentur, eſſet, quod legibus aduerſum videretur, crederent ſe inſcio eiuſmodi ſcriptas eſſe literas, & iccircò ijs non parerent. Non enim Rex imperando poteſt plus, quàm ius, & ratio, cùm nihil ſit aliud Regis auctoritas, quàm animata, atq; loquens iuſtitia.

DE AMICITIA
TITVLVS NONVS.

CVM in ciuili ſocietate, nulla magis retineatur concordia, quàm quæ beneuolentiæ con ſtringitur vinculo: nec ibi, vbi eſt amicitia; ſit ſeditioni, in quo conſiſtat locus; nullum eſt neq; diuturnum, neq; laudabile magis imperium, quàm quod amicitiæ præſidio tenetur circunſeptum. quæ res, in hoc fauſtiſſimo Pontificatu, ad ALDOBRANDINORVM gloriam, ingens accedit cumulus. ea quippè beneuolentia CLEMENS VIII. ab omnibus colitur, & obſeruatur, vt omnes, eo ſedente, ſibi videantur in cœlo eſſe. Huius cœleſtem ac diuinam virtutem maximè attingit Ampliſs. Cardinalis PETRVS ALDOBRANDINVS, qui cùm vniuerſam etiam Hiſpaniam complerit ſui amore, & obſeruantia: tùm Regiæ in eum, beneuolentiæ, vnus inſtar omnium obſes eſt IO. FERNANDEZ Velaſchius Comes Stabilis, qui inclinatis his temporibus, imperij gubernacula militiæ, togæq; ſic tractauit, vt non ſolum multis commodis recrearit, ſed etiam plurimis virtutibus honeſtarit Imperium. Sed vt eò, vnde digreſſa eſt, redeat mea Oratio. Nihil eſt amicitia, niſi amor mutuus. Quare niſi vterq; amat, neuter eſt amicus. Atq; quia amicus eſt alter idem, nihil eſt Principi ad Imperij robur, & diuturnitatem accommodatius, principum amicitia. Nam qui amicum intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur ſui, omniaq; ab eo explorata habet ſalutis præſidia. qui igitur non deſtituitur amicis, & abſens adeſt, & egens abundat, & imbecillis fit robuſtus, atq; quod dictu eſt difficilius, mortuus viuit. Vetus

enim lex hæc eſt amicitiæ, vt idem amici ſemper velint. Diadema igitur in regibus, quod à demẽdis malis eſt dictum, Symbolum videtur eſſe beneuolentiæ, & amoris. Nam vbi eſt amor, ibi nihil eſt, quod quis imperando poſſit timere mali. Ea quippe eſt beneuolentiæ, & amoris vis, quam ad benè beateq; imperandum, temporis Antiquitas, & in pace, literis, & in bello, armis ſemper habuit antepoſitam. Etenim quorſum vt eſt in fabulis, Vulcani illa catena, cuius ex vinculis nec Mars, nec Venus potuit extricari? conuincunt hoc commento Pœtæ, ad vtrumq; tempus & belli, & pacis nihil eſſe amore, & beneuolentia accommodatius. Sed cauendum eſt, ab adulterina amicitia: qua vulgò qui ducuntur non amicum, ſed amici bona diligunt. inter verum enim, & fictũ amicum, hoc inter eſt: quòd ille in aduerſis, hic in ſecundis amici rebus vltrò adeſt. itaq; res aduerſæ illum probant: hunc ſecundæ tantum parant. Huad quicquàm enim eſt vero amico conſtantius. Nam vbi eſt amicitia, ibi eſt virtus, vbi virtus ibi eſt habitus, hoc eſt altera natura, quæ neſcit mutari. Quare Nunquam verè fuit amicus, qui facile deſijt amare. Quoniam igitur amicitia, vinculum eſt bonorum omnium, eò pluris eſt omnibus bonis facienda, quo diuturnius bonum præſtat, minus diuturno. Ad amicitiæ etiam vtilitatem, non exiguus cumulus accedit gloria. Nam cum amor deſiderium ſit boni, & pulchri: ſoluſq; nouit ſapiens amare, nemo poteſt, niſi vir bonus, alteri eſſe amicus. Sed quæ de Amicitia, ex eo ſapientiæ fonte, collegi apophtgegmata, eorũ ſeries hæc eſt.

1 *Quòd nulla Imperij arx ſit firmior Principis amicitia.*

2 *Quòd amicitiæ cedat odium: non odio amicitia.*

3 *Quòd amicitia Comes ſit, in egeſtate vtilitas: in bello ſocia victoria.*

Quòd

4 *Quòd quæ benefiunt amicis, longè glorioſa ſunt magis, quàm quæ innimicis inferuntur mala.*
5 *Quòd amicitiæ decus, ſit beneficentia.*
6 *Quòd nulla Beneuolentiæ peſtis ſit capitalior, quàm crudelitas.*
7 *Quòd in bonis, nihil ſit vtilius amicitia.*
8 *Quòd amicus ſui, non alterius cauſa ſit diligendus.*
9 *Quòd Amicorum à Principe delectus ſit habendus.*
10 *Quòd vbi ſint amici, ibi ſint opes.*
11 *Quòd nullus amicus ſit vltra aras.*
12 *Quòd ſola procreatrix amicitiæ ſit virtus.*
13 *Quòd in omni genere bonorum, nihil ſit melius amicitia.*
14 *Quòd amicitiæ morbus ſit, in rebus agendis ipſa cunctatio.*
15 *Quòd nihil propius ad felicitatem accedat, quam Amicitia.*
16 *Quòd Amicus abſens ſemper adeſt.*
17 *Quòd nunquam ſolus ſit amicus.*
18 *Quòd ſuus etiam ſit amicitiæ fucus.*
19 *Quòd ſemper idem in aliĳs rebus ſit amicus.*
20 *Quòd in amicitiæ clauſtris, vera mortuorum ſit ſepultura.*
21 *Quòd Amicitia, vim quaſi quandam habeat numinis.*
22 *Quòd fons, & origo duplex ſit amicitiæ.*
23 *Quòd Ratum amici, de amico debeat eſſe iudicium.*
24 *Quòd nihil ſit, nec fidentius, nec fidelius amicitia.*
25 *Quòd nihil ſit in bonis, optabilius amicitia.*
26 Quòd *omnia, in vno amicitiæ nomine, lateant bonorum genera.*
27 Quòd *Amicus ſit alter idem.*
28 Quòd *Amicitia anima ſit iuſtitiæ.*
29 Quòd *Amicitia pluris ſit, quàm iuſtitia.*
30 Quòd *nihil capitale ſit magis, quàm numaria amicitia.*
31 *Quòd indulgentia, inſidioſa ſit beneuolentia.*
32 *Quòd truces ex amoris ardore, faces ſæpè accendantur odiĳ.*
33 *Quòd Amoris origo non ſit id, quod bonum eſt, ſed quod placet.*

QVOD NVLLA IMPERII ARX ſit firmior, Principis Amicitia. I.

EST Principis amicitia conſors felicitatis, & publicæ ſalutis ſocia. itaq; interrogatus, cuius Principis aduerſus imperij periculum, ſummum eſſet propugnaculum. eius dixit, qui non armatorum arce: ſed amicitiæ æde tenetur ſtipatus. Sapienter ille quidem. Nam fida, vt ait Iſocrates, regum cuſtodia, non turribus: non propugnaculis: non mænibus: non ſatellitibus: non armis: ſed amicorum præſidijs, & ciuium beneuolentia tenetur, ſine quibus imperium non poteſt ſtare, nedum augeri, & propagari.

QVOD AMICITIÆ CEDAT ODIVM Non odio Amicitia. II.

NON modo adulta odij peſtis, ſed etiam ſtirps, & ſemen maleuolentiæ, in amicitiæ campo relangueſcit. Solitus igitur eſt dicere, non propter odium, amicitiæ: ſed propter amicitiam, odio eſſe derogandum. id aliquando re, & euentu Mithridates Rex Ponti teſtatus eſt. Hic enim pro vno Leonico amico, à Rhodijs in nauali pugna capto, omnes hoſtes captiuos, qui plurimi erant numero, permutauit. habet quippe vnius amicitia ponderis plus: quàm inimicorum ſimul omnium odium.

QVOD AMICITIÆ COMES SIT In egeſtate vtilitas: in bello ſocia victoria. III.

VERITAS ipſa illum in eam cogitationem aduexit, vt diceret nullam arcem eſſe Principi, contra hoſtes firmiorem, quàm eſt Populi erga Principem, beneuolentia. Etenim ad incolumitatem Imperij, nec aptius eſt quicquam, quàm eum diligi, nec alienum magis quàm timeri. Nam ſi amicus eſt, vt teſtatur Ariſtoteles, σώματα μὲν δύο ψυχὴ δὲ μία. id eſt eadem anima, in diuerſis habitans corporibus: qui amicitiã habet: cornu habet Amalteæ, cuius beneficio Hercules nihil fruſtra vnquàm voluit.

QVOD QVÆ BENEFIVNT AMICIS, longè glorioſa ſint magis, quàm quæ inimicis inferuntur mala. IV.

MÆRORE qui eſt afflictus & profligatus, ſolo ab amico poteſt excitari. Dicebat igitur in armis, longe eſſe glorioſius Imperatori, amicos ſeruare, quàm inimicos perdere. idq;, puto, ductus Græcorum legumlatorum exemplo: quorum legibus, qui ferrum in bello amiſiſſet, formidabili pœna afficiebatur: qui verò galeam, aut Thoracem abieciſſet, nullo obnoxius erat ſupplicio. Nam iuſtè quis poteſt vitam deſerere: non poteſt, non iniuſte amicum deſerere, ad cuius tutelam in bello, arma ſumuntur. Atq; ex Iuſtiniani Legibus præclarius eſt virum inſontem ſeruare: quàm ſontem perdere.

QVOD AMICITIÆ DECVS ſit beneficentia. V.

ETSI Amicitiæ pars, indulgentiæ appulſu conſueuit exareſcire: pars obrigeſcere aſperitate morum: ſolet tamen interdum indulgentiam laudare: difficultatem ſemper reprehendere. aliud enim inquit, eſt præſtare ſe ſeuerum, aliud ſæuum. illud quippe eſt iuſtitiæ: hoc crudelitatis, qua nihil eſt deteſtabilius. Nam improbus peccat contra legem: inofficioſus contra merita: ſæuus autem contra Deum, contra pietatem, atq; humanitatem. itaq; olim Senatores Romani Romulum, cum Sænior eſſet, diſcerpſerunt, ne ex lege fieret Tyrannus. Liberi enim qui ſunt, ſeuerum principem vix: ſæuum ne vix quidem poſſunt tolerare.

QVOD NVLLA BENEVOLENTIÆ peſtis ſit capitalior, quàm Crudelitas. VI.

QVI Beneuolus eſt, auctus eſt pietate, omniq; beneficentia cumulatus. Quare inquiebat hominem crudelem, non ſolum aduerſari communi omnium beneuolentiæ, ſed etiam naturam exuere hominis, induere beſtiæ: ſi tamen vlla Beſtia tantam ſtragem, humanæ ſocietati poteſt infligere: quanta infertur ab homine crudeli. L. Sylla Romanorum omnium crudeliſſimus hoſtium capita licitabatur, maximis propoſitis præmijs illis, qui proſcriptos interemiſſent: & ſupplicijs ac morte ijs, qui illos occultaſſent. ex quo nefariè, & crudeliter, ſicuti Dionyſius Halicarnaſſeus ſcribit, quadraginta millia Romanorum ciuium, voluntario iudicio peremit, præter illos, qui illius ductu, in prælijs ceciderunt.

QVOD

QVOD IN BONIS NIHIL SIT vtilius Amicitia. VII.

COMPOSITVM genus dicendi, acre & expeditum, non tam verborum filo: quàm rerum texitur teſtimonio. Multum enim in vno, non parum in altero ad fidem faciendam, Antiſtites hic ſapientiſſimus ſemper habuit auctoritatis Solitus autem eſt dicere, non vtile eſſe Principi opes: ſed amicos parare: quando opes non ſint poſſidentium: ſed amicorum. Sic pariter præcepit Polybius: ſicq; inſtituit Scipio, qui ante grauabatur è foro redire, quàm aliquem benemerendo ſibi amicũ effeciſſet.

QVOD AMICVS SVI, NON Alterius cauſa ſit diligendus. VIII.

INTERROGATVS quos, inter familiares haberet chariſſimos, eos reſpondit, qui magis mihi, quàm me ipſum metuunt. Nam illi amicum: hi vero ſeipſos magis amant.

QVOD AMICORVM A PRINCIPE Delectus ſit habendus. IX.

ETSI non eſt amicus, quem non abſorbet quaſi quidam æſtus benemerendi. longo tamen interuallo, diſpar eſt amicorum ratio. interroganti igitur, quorum amicitia, & conſuetudine oblectari in primis deberet Princeps, eorum dixit, quorum familiaritatem Pyrrhus Rex Epyrotarum aucupabatur. Multò vero ſale aſperſum reſponſum. Eloquentes enim viros annuebat, inter

quos

quos Cyneam Theſſalum in ſummo honore habebat: nec falſo. Hic enim ſolus plures ciuitates facultate dicendi debellauit, quàm vniuerſus Pyrrhi exercitus. Quare quod falſè fert Euripidis ſententia: eos eſſe neruos, & vires eloquentiæ, vt multa efficiat viri eloquentis oratio, quæ hoſtile ferrum nequit efficere: id re, & euentu ille comprobauit.

QVOD VBI AMICI, IBI SINT opes. X.

DICEBAT Amicos cùm peterent, non aliena petere, ſed repetere quæ ſua ſunt. Nam cùm tam arctum ſit amicitiæ vinculum, vt vnus fiat ex pluribus, omnia amicorum ſint communia oportet. fit igitur vt amicus dans egenti amico, non dare videatur, ſed reddere quod debet: ſin minus ſuggerit, quod res tempuſq; poſtulat, alienum quod eſt retinere.

QVOD NVLLVS AMICVS ſit vltra aras. XI.

CVM in amicitia non ſolum ſint adiumenta ſalutis: ſed etiam ornamenta dignitatis, cuidam petēti quid ab altero amico, alteri honeſtè poſſet negari, quod turpe eſt, reſpondit. Itaq; Phocion, cùm Antipater peteret quiddam, quod minimè eſſet ex æquo, & bono. O Antipater dixit, tu non potes Phocione & amico ſimul, & adulatore vti. Ille enim honeſta tantum: hic etiam turpia admittit amici gratia. Quare qui ab alio iniuſta exorat, non ab amico: ſed ab adulatore cenſetur exorare.

QVOD

QVOD SOLA PROCREATRIX amicitiæ ſit virtus. XII.

VIR bonus amoris aculeos, in eorum animis relinquit, à quibus eſt auditus. Nam virtus, qua nihil eſt amabilius, non oculis hauritur, ſed auribus. Quamquam tamen ſuæ partes etiam oculis, ad beneuolentiam ſunt tribuendæ. itaq; ſciſcitanti cuidam quis color amorem maximè conciliaret, virtutis dixit. Nam qui eſt ſanguinis, ſæpe fucum facit. Quare vt Thales Mileſius aſſeuerabat, oris elegantia adulterinos: animi autem pulchritudo veros amicos parit.

QVOD IN OMNI GENERE BONORVM, nihil ſit melius Amicitia. XIII.

NVLLIS aſperitatibus rerum, & anguſtijs temporum, vel ad bona comparanda, vel ad depellenda contraria, vnquam intercluditur amicitia. Cuidam itaq;, ex familiaribus interroganti, qui Domum referſerat annuo commeatu, quarum rerum geſtiret copia: amicorum dixit. nihil enim eſt neq; in bonis, melius: neq; in honore, honeſtius amicitia. Quare apud Scythas, is habebatur ditiſſimus, qui non opes plures: ſed amicos poſſidebat. Nam ad vitæ præſidium, plus eſt in amicis, ſine pecunia firmamenti: quàm in pecuniarum redundantia, ſine amicis. dicere igitur ſolitum legimus Socratem, nullam eſſe prætioſiorem poſſeſſionem vero amico: nec aliunde vtilitatis plus, aut iucunditatis poſſe capi. Quocirca non ſolum turpiter ſentiunt, ſed etiam præpoſterè agunt, qui grauius pecuniæ iacturam, quàm amicitiæ ferunt.

QVOD

QVOD AMICITIÆ MORBVS SIT IN rebus agendis, ipſa cunctatio. XIV.

IN amicitia quædam ſunt amputanda: quædam etiam inſerenda. interrogatus igitur quid, ex amicitia eſſet tollendũ: cunctatio inquit, in primis eſt tollenda: cura verò inſerenda ſolers, & diligens. Acerbum enim redditur, quod amicè fit, niſi prumptum ſit, & expeditum. Quare nihil turpius eſt in amicitia, quàm rogari. Non enim dari, ſed rapi videtur, quod precibus extorquetur. Amicum igitur pluribus verbis qui rogat: facit rogando, vt amico videatur diffidere. Nam vt Crates Thebanus teſtatur, veri qui ſunt amici, in rebus aduerſis vltro adſunt inuocati: in rebus autem proſperis, nunquam niſi accerſiti.

QVOD NIHIL PROPIVS AD felicitatem accedat, quàm Amicitia. XV.

NON attenuata, & imminuta eſt amicitiæ gloria: quod ſine ea, neq; in malis vlla doloris medicina: neq; in bonis ſenſus vllus ſit fœlicitatis. conſueuit igitur dicere, nihil eſſe amicitiam, niſi conſortem felicitatis, & Sociam: vero autem amico vti, ipſam eſſe felicitatem. ita Sylla cognomento felix, inter felicitates ſuas, duas præcipuè ducebat, vnam quòd Pium Metellum haberet amicum: alteram quòd Athenas non ſubuertiſſet, quarum in ſolo, tanquam in feraciſſimo agro, virtus fructus vberrimos fundebat amicitiæ.

QVOD AMICVS ABSENS, Semper adeſt. XVI.

INQVIEBAT Amicum fide adduci, & officio, vt etiam procul magis, quàm ſecum ageret cum amico. Nam amici adeo tenax eſt memoria, vt abſens, ſemper adeſſe videatur. Eſt enim amicitia ea animorum coniunctio, quæ nullo diſiungi poteſt locorum, aut temporum interuallo. Nulla igitur apud Amicos excuſatio eſt obliuionis: niſi fortè quis, etiam ſui capi poſſit obliuione.

QVOD NVNQVAM SOLVS SIT Amicus. XVII.

AD verborum anguſtias, & ad literarum angulos, qui volet reuocare amicos, facile intelliget, amicitiam, quaſi animi communis, & conſilij officinam eſſe vocatam. Interroganti cuidam igitur quiſnam nunquam eſſet ſolus: amicus dixit. Hic enim ex vno fit geminus. nec ambigi de eo poteſt. Naturæ enim teſtimonio intercluditur via omnis dubitationis. Etenim quorſum duo Aſpides expreſſi? habet Hieroglyphicum veram amici interpretationem. Aſpis enim numquam è latibulo, ſine comite exit: eumq; ſenſum habet beneuolentiæ, vt ſi eorum vnus occidatur, alter qui ſuperſtes remanet, alterius mortem vlciſcatur.

QVOD SVVS ETIAM SIT, Amicitiæ fucus. XVIII.

ADVLTERINVS amicus cùm aliud habet in pectore clauſum, aliud in ore prumptum: ingemiſcens aliquando dixit, multos geſtare amicitiæ inſignia: paucos verò amicitiam attingere: ideo ſi quid humanitus cuiquam accidiſſet, illum ſine ope, & adiumento, in aſperitatibus rerum, & mærore iacere. Hoc ipſum vt docerent Ægypti, Arborem Amyram Hieroglyphicum fecerunt Adulterinæ amicitiæ. Nam & arbor hæc odorem fundit ſuauem, fructum nullum ferens: & Amicus adulterinus, oſtentationem ſemper ſpirat officij: numquàm præſtat officium.

QVOD SEMPER IDEM JN ALIIS rebus ſit amicus. XIX.

INTERROGANTI cuidam quis inter homines non conſeneſceret, amicus dixit. Nam vireſcit amicitia, non relangueſcit tempore. Notum eſt ad hanc rem, in ſacris Ægyptiorum literis, Canis Hieroglyphicum. id etſi tacitum eſt, & elingue: non tamen, aut mutum, aut nudum eſt à doctrina, & virtute. Etenim cur Canis Vlyſſis poſt annos viginti, ſolus ex domeſticis cognouit dominum? quia, ſi naturam conſulimus non canis, ſed rationis: nec virtus, nec doctrina ſubijcitur tempori.

QVOD

QVOD IN AMICITIÆ CLAVSTRIS vera ſit mortuorum ſepultura. XX.

QVERENTIBVS amicis, cùm omnes de ægrotante familiari eſſent ſoliciti, vbi quis optimè ſepeliretur: in amicorum dixit ſinu, & gremio. Sapienter ille quidem. Nam ineptias qui volet ex falſa amicitiæ opinione, reſecare, & tollere quod ſordeſcit; ſentiet amicos non minus mortuis, quàm viuis prodeſſe. Non eſt vulgare Antiquitatis teſtimonium. Etenim cur à Parthis canes alebantur, quorum voracitate cadauera abſumebantur, non condiebantur in ſepultura? vt cùm canis ſymbolum ſit amicitiæ, hoc certè moniméto mortalibus teſtatum relinquerent, homines non poſſe melius ſepeliri, quàm in beneuolorũ animis, quorũ memoria amici in dies reuiuiſcunt mortui.

QVOD AMICITIA VIM QVASI quandam habeat Numinis. XXI.

ETSI virtus ab Ariſtotele mos, à modo vocatur eò quòd quæ honeſta ſunt, niſi modus adhibeatur, turpia redduntur, & inhoneſta omnia: ſolam tamen amicitiam inquiebat, inter omnes virtutes, & loco, & tempori, & perſonis maximè moderari. magna vero tanti Præſidis: non exigua Antiquitatis Auctoritas. Nam cur à Græcis Amicitia Dea, quam φιλίαν vocabant conſtituebatur? vt certè hoc vnum oſtenderent, Amicum verum, veluti numen aliquod, nihil perhorreſcere: hocq; inter ſapientem, & amicum intereſſe, quod illius ſit parere: huius imperare, & loco, & tempori. Bellè id quidem olim, meo quidẽ iudicio, Romani. Nam cur apud eos, amicitiæ hæc ſpectabatur imago, Iuuenis aperto capite: tunica rudi indutus: cuius in Fim

bria ſcriptum erat mors, & vita: in fronte æſtas, & hymens: habebatq; latus apertum, cuius in præcordijs digito inſcriptum oſtendebat longè, & propè? næuos, & nebulas rationi & diſciplinis offutiunt, qui malunt ex verbis, quàm ex his præclariſſimis monimentis amicitiæ vim attentare, quibus cenſetur amicitiam, nec morte, nec loco: neq; deniq; tempore reuelli poſſe.

QVOD FONS, ET ORIGO duplex ſit amicitiæ. XXII.

QVEMADMODVM Anaxagoras, & Empedocles amicitiam, & litem fecerunt principium rerum omnium: eò quòd per conſociationem, & diſiunctionem, generatio fit, & corruptio: ita ſolitus eſt dicere duo eſſe amicitiæ primordia: ſimile, & diſſimile. Summa enim amicitia eſt, vt Teſtatur Cic. quam morum ſimilitudo coniugauit: Lubrica verò, & imperfecta, quã diſſimilitudo conciliauit. Illa vt teſtis eſt, & Prometheus Ægyptiorum legislator, & Pythagoras, cadit in virum bonum tantum, quia honeſtate ſolium definitur: Hæc verò, quia ſuauitate, & vtilitate omnia metitur, diſſimilitudine magis gaudet perſonarum. ita Diues à paupere: & vir à muliere magis diligitur, quàm vel mulier à muliere, vel pauper à paupere, etſi ſui ſunt ſimiliores.

QVOD RATVM AMICI, DE Amico debeat eſſe iudicium. XXIII.

INQVIEBAT, amanti quod erratum eſt, rectum videri: non item amico: eò quòd ille ſenſu, & opinione, hic animi feratur iudicio. Quare de amico

ratum

ratum ſemper debet eſſe, amici iudicium. Nam vt beneuolentia fit eius, qui amatur gratia: amor contra illius cauſa, qui amat: ita amicitia virtutis ergo conflata, nihil præter id, quod honeſtum eſt ſpectat.

QVOD NIHIL SIT NEC FIDENTIVS nec fidelius amicitia. XXIV.

IN ore ſæpè habebat nihil eſſe ad omnes res ardentius amore, & amicitia: nihil valentius, quæ nec vi, nec metu frangi põt. probant id duo amicitiæ lumina, Damon, & Pythias, Pythagorei diſcipuli, quorum alterum, cùm Dionyſius Syracuſanus interficere vellet, propter ſuſpicionem perduellionis: alter ſe mortis vadem præſtare non dubitauit, tantiſper, dum qui rapiendus erat ad ſupplicium, rebus ſuis compoſitis, reuerteretur. cùm verò adeſſet hora morti deſtinata, & iam obſes eſſet proximus ſupplicio, vnuſquiſq; ſponſorem ſtultitiæ, & temeritatis damnabat: at is nihil de amici fide dubitare conſtanter prædicabat. eodem igitur momento, quo Tyrannus ſupplicium indixerat, qui diſceſſerat, ſuperuenit, obſidem liberaturus, cuius rei Tyrannus percitus admiratione, reum impunè dimiſit, & inter vtrumq; amicum tertius haberi voluit.

QVOD NIHIL SIT IN BONIS optabilius amicitia. XXV.

ITA amicus eſt animatus, vt non putet magis ſe ſua, quàm amici cauſa eſſe natum. Quare aiebat nullum in vita bonorum genus eſſe tam grande, quod amicitia non videatur exæquare, aut po-

tius ſuperare. auget ſententiæ huius auctoritatem, vetus Darij votum, qui non aduerſus hoſtes victoriam: non regna: non gloriam: ſed oblato tibi malo punico, tot optaſſe fertur Zopiros, (quia Zopirus non fucatus erat amicus) quot granulis eſſet malum illud refertum. vera enim regni præſidia ſunt amici, quos nec ferro cogere, nec auro parare queas. Sola igitur militum amicitia fretus Scipio Africanus, dicitur bellum Carthaginenſibus intuliſſe.

QVOD OMNIA IN VNO AMICITIÆ nomine, lateant bonorum genera. XXVI.

DICEBAT iure amicitiam ab amore eſſe vocatam, quia natura cùm ſit ſuauis, vtilis, & honeſta, nihil ei deeſt, quod amari poteſt. Tantum quippè vnumquodq; eſt ſuaue, quantum amatur: eoq́; vtile magis, quò ad res plures vſus eius frequens eſt, & idoneus: nec deniq; quicquam magis eſt honeſtum, quàm μονας ſiue amicitia, quæ anima eſt iuſtitiæ. Sed quò res melior eſt, eò rarior eſt amicitia. nihil enim vnquam ſol vidit rarius virtute. Itaq; conſueuit Menander dicere, illum eſſe felicem, cui vel amici contigiſſet vmbra. eſt enim amicitia animal minimè gregarium. Hac ratione commotus Alexander Magnus, Achillem fuiſſe felicem pronunciauit: eò quod viuens fidum amicum: poſt fata magnum ſui nominis, & famæ nactus eſſet præconem.

QVOD

QVOD AMICVS SIT ALTER idem. XXVII.

SOLITVS eſt dicere amico chariorem eſſe amici vitam, quàm ſuam: atq; iccircò inanem illam eſſe ſententiam, qua vulgo fertur, quòd quiſq; ſibi melius, quàm alteri cupiat eſſe. Nam amicus cùm viuat in amico, in ſe autem ſit mortuus: nihil habet potius amici vita. graue, & elegans eſt Promethæi Ægyptiorum legiſlatoris teſtimonium. Hic enim vbi interierat coniux, tulit moderate, quòd pars domus perijſſet: vbi direptæ eſſent eius opes: dixit non ſua, ſed fortunæ bona eſſe ſublata: cùm pariter filius de vita migraſſet, dixit parte ſe aliqua tantum eſſe comminutum: at mortuo amico, ſtatim frangi dolore cæpit, atq; in luctu, & ſqualore ita iacere, vt vix ſine ſuſpirio, poſſet reſpirare. quod cùm admiraretur populus, rei admirationem, eius ex animo abſterſit, inquiens amico mortem obtigiſſe: ſibi vero mortis dolorem, quia ipſe vt mortuus, ſenſu non careret: amicum non eſſe amici exemplar: ſed alterum idem. Hoc ipſum Lyricus Poeta ſentiens, amicum dimidium animæ vocat. quaſi vna ſit animæ vis, & libera voluntas, duobus in corporibus.

QVOD AMICITIA ANIMA Sit Juſtitiæ. XXVIII.

INQVIEBAT amicitiam non ſolum omni iure eſſe imbutam: ſed etiam animam eſſe iuſtitiæ. vbi enim non eſt amicitia, ibi iuſtitiæ ſuccus, & ſanguis ſtatim exareſcit. Nam ius diuinum amore Dei: ius humanum amore hominum definitur,

Quanquam enim vulgo amor differt ab amicitia, quòd ille ferarum etiam beſtiarum ſit: beneuolentia ſolum hominum: amicitia verò bonorum tantum: tamen amor hoc loco, vim obtinet virtutis, in qua laus omnis conſiſtit amicitiæ. quæ ſi obſeruaretur in ciuitate, nihil ei accideret iure, & legibus magnopere opus eſſe. Nam poſito fine, nihil ijs opus eſt, quæ pertinent ad finem.

QVOD AMICITIA PLVRIS SIT, *Quàm Iuſtitia.* XXIX.

VT circuitum, & quaſi orbem relinquam honoris, quo fertur, & ducitur Amicitia, inquiebat Amicum viro iuſto eſſe anteponendũ: eò quòd iuſtitia malum prohibet, Amicitia bonum miniſtrat: Eſtq; illius plerunq; deſtruere: huius ſemper ſeruare. Nam, vt partes corporis ſe mutuo amant, atq; aliæ alijs ſeruiunt, vnamq; animantem ſimul omnes conſtituunt: ita veri amici eo ſocietatis conſtringuntur vinculo, vt ex pluribus, vnum quaſi corpus fiat ſalutis. Amicitia enim diuitibus eſt, pro gloria: pauperibus, pro cenſu: exulibus, pro patria: mortuis pro vita: ac deniq; perditis, pro ſalute.

QVOD NIHIL SIT CAPITALE *Magis, quàm numaria amicitia.* XXX.

INQVIEBAT Inſidioſam beneuolentiam ſuo enudari ſcelere, per hunc Apologum. Annuum ſe natalem celebrare ſimulabat vultur: auiculaſq; ad cænam inuitarat. aduolant igitur longinquis ex locis Auiculæ, quæ omnes primùm cum applauſu e-

cipiuntur

cipiuntur à vulture : tum vbi hora cœnæ adeſt, illæ omnes ad vnam deuorantur: ſimile quiddam eſt, in quæſtuoſa amicitia, quæ in vtilitate eſt fundata. Nam amicus ijs potiſſimum applaudit, quos ſibi ad paſtum videt prodeſſe. ijs enim cùm videtur aliquid dare : tum maximè inhiat rapere : eſtq; in hoc genere ijs amicus, vt oleum plantis : quibus nihil non letale ſpirat.

QVOD INDVLGENTIA INSIDIOSA Sit beneuolentia. XXXI.

CVM liberorum amore, multos cerneret infatuari, atq; ab ijs liberos, per indulgentiam in educatione non ad diſciplinas duci, ſed ſeduci : dixit indulgentem beneuolentiam, ſuaue eſſe venenum. Nec contemnendum de ea re eſt, in Simia naturæ teſtimonium. Hæc enim beſtia, ex pluribus catulis, quos in lucem edit, quem plurimum diligit, lætè in vulnis geſtando, & geſtiendo cruciat, ac demum cruciatum trucidat. Cæteri, quibus minori plauſu indulget, ſoli anima ſuperant. atq;, vt ab indulgentia parentum recedam, qui Impurus eſt, & libidinoſus, quos maximè diligit, hos in primis inficit omni turpitudine, vel graui potius conficit ſcelere. Blandè enim amplectendo quos amat, nefariè lædit.

QVOD TRVCES EX AMORIS ARDOre faces ſæpe accendantur odij. XXXII.

CONVVLSA, & labefactata multo furore, non paruo ſcelere ſæpè fuit amoris vis. Quare conſueuit dicere amorem, niſi modus adſit, facile in capi-

tale odium commutari. Nec vulgare eſt apud Poetas teſtimonium. Medea enim Æetæ Colchorum regis filia Iaſonem cùm deperiret, illum in Græciam eſt ſecuta, patrem verò inſequentem vt vitaret, diſcerpti Abſyrti fratris membris retardauit. At ex tanto amore, ſtatim venit in odium tam capitale, vt odij nomen viſa ſit omni crudelitate ſuperare. Hæc enim à Iaſone repudiata, filios ſuos, quos ex eo ſuſceperat, occidit: Glaucamq; Creontis filiam, cum qua Iaſon ſecundas contraxerat nuptias, incenſa regia, viuam cremauit, ac ipſum etiam Iaſonem impatientia doloris, manus ſibi inijcere coegit. Quare cùm amor odio ſit finitimus, nemo rectè, ex Heſioni ſententia, amat, niſi qui amat tanquàm aliquando oſurus. præſertim quando facile odij flamma, ex amoris ardore accenditur.

QVOD AMORIS ORIGO NON SIT id, quod bonum eſt, ſed quod placet. XXXIII.

INHONESTA nolim crepare: hoc non queo tacere, plures quod volunt, quàm quod debent ſequi. Non enim, vt inquiebat, amatur quod pluris eſt, ſed quod videtur. Ita Canis à Cane in amore, boui præponitur: Sic Formica, Tauro Formicam anteponit: ita ferè inter mortales, amor non fit, ex iudicio, ſed ex opinione. Ita Alexander Magnus tanta beneuolentia Epheſtionem eſt proſecutus, vt eo mortuo, propugnacula vrbium diripi, equos mulaſq; tonderi, pleroſq; gregarios homines interfici ad mæroris argumentum iuſſerit? idq; vocauerit Ephæſionis inferias.

DE LIBERALITATE
TITVLVS DECIMVS.

CVM nihil neq; ad robur imperij, populari gratia: neq; ad popularem gratiam liberalitate ſit accommodatius: Card. ALDOBRANDINVS ea pietate, ſummi Pontificatus liberalitatem cōmendat, vt nunquam magis Pōtificatus augeat patrimoniū, quàm cùm ſit liberaliſſimus. Eſt enim diuini eius ingenij, & ſummæ liberalitatis, omnia ita largiri, vt qua pietatis ſemita, ex apoſtolico ærario exeunt, eadem ad Eccleſiaſticas opes redeant cumulatiore menſura. Idq; minimè mirari ſoleo. Nam qui homines à Principibus beneficium capiunt, faciunt capiēdo, vt magis capi, quàm capere videantur. Itaq; nec Princeps, nec Deus fieri poteſt prodigus. Nam vterq; eorum quæ largitur, nihil videtur abalienare, ſed ſemper omnia in ſua ditione, & poteſtate retinere. Quare in ornamentis imperij, nullum neq; clarius beneficio nitet Diadema: neq; geſtatur amore præſtantius. At inter Principes, & priuatos homines longe diſpar eſt Liberalitatis ratio. Nam inter hos, difficile eſt liberalem fieri diuitem: inter illos difficilius, auarum non fieri miſerum. Pluris igitur ducebat liberalitatem, ſine diuitijs, quàm diuitias ſine liberalitate. lubens itaq; dabat, grauate verò ab ijs præſertim, in quos beneficium collocarat, quicquam, ne collocati beneficij iacturam faceret, capiebat. Nam ſi quod redditur, non eſt datum, quod donum eſt, ab omni reſtitutione nudum ſit oportet. Vltrò igitur, non neceſſitate adductus, apud bonos viros beneficia collocat. Nam quod ab inuito extorquetur, non beneficentiam, ſed prædam eſſe putat.

putabat. rogari vero ſemel poterat læte: ſæpius non niſi granatè poterat, eo quòd dona precibus empta, ſtomacharetur quaſi malefacta. Beneficium enim, quod aut non loco, aut non tēpore, aut non libenter fit, beneficij non ſolum gratiam amittit, ſed etiam maculam quādam capit maleficij. aiebat igitur nihil eſſe liberalitatem, niſi externorum bonorum artem, & diſciplinam, qua qui deſtitueretur neſciret pecunia vti. Quæ autem de ea tulit Apophthegmata, eorum, quantum colligere potui, ſeries hæc eſt.

1 *Quòd nihil, in virtute gloriam magis, quàm liberalitas attingat, Principis.*

2 *Quòd Principis liberalitas, nulla exhauriatur beneficentia.*

3 *Quòd liberalitas minus accipienti, quàm largienti ſit fructuoſa.*

4 *Quòd malè precans, non precari, ſed ſibi imprecari videatur.*

5 *Quòd tum maximè habeatur Princeps liberalis, cùm parua à paruis capiat.*

6 *Quòd non exigua ſit liberalitatis, in Principe commendatio, munera à ſubditis capere.*

7 *Quòd aurea munera à priuatis capere, negligat Princeps.*

8 *Quòd in liberalitate alijs, aliud genus beneficentiæ expediat.*

9 *Quòd Res ſit inſidioſa capere munera.*

10 *Quòd Principis liberalitas in eos, qui reſipiſcunt, debeat eſſe propenſa.*

11 *Quòd Muſis amica debeat eſſe Principis liberalitas.*

12 *Quòd Capiens honeſtet, in liberalitate largientem, & largiens capientem.*

13 *Quòd liberalitas ars ſit eroganda pecuniæ.*

14 *Quòd non pecunioſus, ſed liberalis ſit diues.*

15 *Quòd nulla erga improbos ſit liberalitas.*

16 *Quòd liberalitas non meritis accipientis: ſed donantis dignitati magis*

magis reſpondere debeat.
17 *Quòd Raro ab incognitis: nunquam ab inimicis ſit capiendum.*
18 *Quòd ex liberalitate, nemo reddatur inops.*
19 *Quòd liberalitas contabeſcat, ſine Gratiarum actione.*
20 *Quòd Tarda ſordeat liberalitas.*
21 *Quòd liberalitas, prudentia conſors ſit, & religionis ſocia.*
22 *Quòd qui liberalis eſt, vitam maximè agat hominis.*
23 *Quòd liberalis non timeat ſumptum: ſed amici incommodum.*
24 *Quòd felix ſit qui ſeruit liberali Principi.*
25 *Quòd libentius liberalis vltrò proſit, quàm Rogatus.*

QVOD NIHIL IN VIRTVTE, Gloriam magis, quàm liberalitas attingat Principis. I.

CVM ab omni oculorum conſenſu, atq; aurium comprobatione, auaritiæ crimen ſit excluſum: tum nihil ad popularem gratiam liberalitate eſt conditius. Atq; quoniam rumores, iam de admirabili beneficentia CLEMENTIS VIII. per totam Italiam calebant, cùm quis curioſa quadam cupiditate iudicij, quæreret, quid in virtute maximè eſſet glorioſum, alijs reſpondit commodum, ex ſuo parere incommodo. Etſi virtus enim non eſt pecuniæ præmium: eſt tamen pecunia in loco neglecta, non vulgare virtutis teſtimonium. Ita Fabius ille, qui cunctando Romanis reſtituit rem, laudatur. Hic quippe captiuos ab Annibale acceptos, cum Senatus negaret ſe redempturum, fundum vendidit, vt id ſolus præſtaret, quod tota ciuitas præſtare refugeret.

QVOD

QVOD PRINCIPIS LIBERALITAS, *Nulla exhauriatur beneficentia.* II.

EXILITER, & exiguè eſt nimis agere: ad calculos omnia reuocare. quæ, inquit, profuſio eſt in alijs: ea eſt liberalitas, in Principe. Etenim nec Deus, nec Princeps dando, poteſt miſer fieri: Nam vterq; eorum, quæ largitur, remanet dominus. docuit id aliquando Alexander Magnus. Cum enim omnia amicis donaſſet, & iam regias ferè opes abſumpſiſſet, tum Perdicus, ex intimis eius familiaribus, quid tibi Rex inquit, iam supereſt? ſpes reſpondit. Notat enim ſi res poſtulabat, quo ex fonte, quæ per liberalitatem erogarat, eodem propter beneuolentiam poſſe ad ſe redire: onus autem beneficij, apud accipientes remanere.

QVOD LIBERALITAS MINVS *accipienti, quàm largienti ſit fructuoſa.* III.

VBI non adſunt exercitationes ſtyli: non parum proſunt curricula ſermonum, quibus eruditio facundiæ coniunx, quaſi ſopita interdum, eſt excitanda. Itaq; cùm fortè de liberalitate ageretur, quæ ex perſona conſtat largientis, & accipientis: interrogareturq; quid in ea haberet potius: dare magis, reſpondit quàm accipere. qui enim dat, alium obligat, qui capit alij obligatur. Quare liberi hominis non eſt capere, nec quicquàm aliud eſt Principis donum, niſi veluti quoddam ſeruitutis vinculum. Itaq, beneficium qui inuenit, compedes inuenit, qui non ferri naturam retinent, ſed obſequij, & obligationis. Magna igitur mercede beneficium emit, qui precatur:

ſumma

ſumma qui capiendo capitur: nec paruum precium accipit, qui largitur.

QVOD MALE PRECANS NON precari, ſed imprecari ſibi videtur. IV.

HABET verbi vis,in rogando morſus acres, aculeos non hebetes. petimus enim gratia: rogamus precibus: poſcimus iure: flagitamus ardore. Horum verborum, niſi parcus ſit in petente vſus: comminuitur, in largiente, beneficij gratia. Ad beneficia igitur impetranda, non eſt celeritate, ſed prudentia, opus. Importunitas enim poſcentis plerumq́; liberalitatem comminuit, & reſtinguit largientis. Sic M.Craſſus petentium vitio, ex liberaliſſimo tenax euaſit, & auarus.

QVOD TVM MAXIME HABEATVR Princeps liberalis, cùm parua à paruis capiat. V.

NIHIL eſt tam cognatum præceptis, quàm cautiones, & diuerticula. Etſi enim potior pars eſt in liberalitate largientis, quam capientis: Princeps tamen ſæpe, capiendo fit liberalior, quàm largiendo. Nam multum dat, cum exigua capit ab amicis. addit enim primùm, quia nemo vir bonus vult donari ab improbo, graue virtutis teſtimonium: deinde ſpem oſtendit plurimi meriti. Hoc in virtutis genere laudatur Artaxerxes Perſarum Rex, qui ab operario aquam ſibi oblatam, eo animo accepit, vt plurima gratia compenſarit.

QVOD

QVOD NON EXIGVA SIT Liberalitatis, in Principe commendatio, munera à ſubditis Capere. VI.

CVLINARIVM inquiebat eſſe ingenium, nedum hebes, & obtuſum non odorantis, quantum Princeps munuſcula à ſubditis capiendo, illis impertinet honoris, & gloriæ. Quoniam enim nemo probus, veteri prouerbio, vult ab improbo donari: muneris laus, quod fit Principi, non eſt penes accipientem, ſed largientem. Quare olim, apud Parthos, vt omnes maiori ad virtutem ſtudio contenderent: nemini Regem ſine munere, licebat adire. Nam acceptum munus, inſigne virtutis: recuſatum, notam criminis afferebat largienti.

QVOD AVREA MVNERA A PRIVATIS capere negligat Princeps. VII.

ERVDITIO facundiæ coniux, & gloriæ ſocia, nullis magis, quàm ſententiarum pigmentis ſe colorat, & corroborat. Hæc cùm funditur vndiq; à tanto Antiſtite: rum interroganti cuidam, quod munus Principi à priuato viro plurimum haberet gratiæ: non illud inquit, quod accerſitur ex fortunæ bonis. Nam cum ijs redundet, non fortunæ, ſed gloriæ bona ſunt ei miniſtranda. Qui enim Principi aurum, argentumùe largitur, non tam videtur, vt ait Iſocrates, velle largiri, quàm mercari, ac fœnerari.

QVOD IN LIBERALITATE, ALIIS aliud genus beneficentiæ expediat. VIII.

NEQ. Cæco caſu, neq; opinionis temeritate duci debet Principis liberalitas: ſed iudicio. Itaq; inquiebat penes Principem plus in dando, quam in rei, quæ daretur magnitudine, reſidere gloriæ. Nam eò ſpectat Principis largitio, vt omnes ad ſui muneris ſtudium, accendat virtutis amore. Quare Reges Perſarum, obuijs mulieribus aurum dono dabant: viris autem Sagittas, & iacula, quò docerent fœminis frugalitatem: viris rem militarem curæ eſſe debere.

QVOD RES SIT INSIDIOSA capere munera. IX.

RES cæcæ, & ab aſpectus iudicio remotæ, nulla luce magis clareſcunt, quàm ſententiarum ſplendore. Cùm igitur quæ apud Thebanos ſtatua iudicis erat expreſſa, ſine manibus, ei oſtenderetur: ingemuit quod ei, cui fas eſſet dare, non liceret capere. tum ſciſcitanti cuidam, à quo non liceret munus accipere: ab inſidioſo amico reſpondit, præclara verò, & æternitate digna ſententia. Nam in inimicorum muneribus, morſus latet aſpidis, qui interimit ſine dolore. Itaq; Cyneas cum ingentibus donis à Pyrrho Romam miſſus, ciuem nullum inuenit, cuius domus illius muneribus pateret.

QVOD PRINCIPIS LIBERALITAS in eos, qui reſipiſcunt, debeat eſſe propenſa. X.

IN his carceribus hominum vita tenetur intercluſa, è quibus anceps cogitandi ratio nunquam eſt excluſa. Cum igitur in ſermonem, de liberalitate Principis incidiſſet, interrogareturq; in quos potiſſimum Princeps deberet eſſe liberalis: in eos reſpondit, qui reſipiſcunt, etſi ei antè graues fuerunt, & infeſti. Ita Xerxes, Themiſtoclem, à quo in bello antè fuſus, fugatusq́, fuerat, Athenis relictis: beneuolè excepit, atq; in maximo honore habuit: treſq; illi vrbes opulentiſſimas, dono dedit.

QVOD MVSIS AMICA DEBEAT eſſe Principis Liberalitas. XI.

QVONIAM Muſæ, quæ honeſta, non quæ ſunt quæſtuoſa, ſequuntur: iccircò ferè qui Muſis ſunt addicti, cernuntur inanes, & ab opulentia nudi. Quocirca conſueuit dicere, Principum liberalitate Muſas eſſe depaſcendas. Huic eius ſententiæ ſuffragari in primis videtur Alexander Magnus. Nam cùm facilis, & benignus eſſet in omnes viros doctos, tum Xenocrati, cuiùs acre ingenium admirabatur, quinquaginta talenta dono miſit, eò quòd acceperat ab amicis, illum ex anguſtia rei familiaris laborare, atq; eam ob rem, Muſas ipſas cum viro abiecto, in ſqualore iacere.

QVOD

QVOD CAPIENS HONESTET IN *Liberalitate largientem, & largiens capientem. XII.*

STERILITATE ingenij, & inopia doctrinæ, ſtirps, & ſemen virtutis, in quæſtionum campo, ſæpe exareſcit. Cùm igitur in dubium, & quæſtionem eſſet adductum, vter in liberalitate magis eſſet laudandus, capiens ne, an largiens: eò quòd ille deſiſtit eſſe ſui iuris: hic verò non libertatis, ſed rei poſſeſſionē tantum amittit: Nō eſt reſpondit, cur id quenquam vllis confodiat dubij ſtimulis. Nam largientis gloriam ex capiente, & capientis laudem, ex largiente metiri oportet. Ex quo ambo videntur in virtute, & honeſtate eſſe pares. Teſtis eſt Diogenes. Etenim cùm à quodam magna recreatus fuiſſet beneficentia, illumq; idcircò, qui Diogeni præſto fuerat, nonnulli magnopere laudarent, tum Diogenes, præclarum, ait, eſt beneficium dare: mereri verò præclarius, quàm dare. Nam, vt vetus Pub. Mimi eſt ſententia, beneficium dando capit, qui digno dat: qui autem non dat, videtur potius quod alienum eſt retinere, quàm quod ſuum eſt, non dare.

QVOD LIBERALITAS, ARS SIT *erogandæ pecuniæ. XIII.*

QVIA Non ſolum pellenda eſt cæca, & temeraria animi dominatrix cupiditas, quæ arcam neſcit reſerare: ſed etiam accerſenda eſt ars quædam pecuniæ erogandæ: interrogatus aliquando ab amicis, quis optimus eſſet pecuniarum vſus, qui in largitione dixit eſt poſitus. Hùc accedit Ariſtippi plena pon-

deris auctoritas. Nam reprehenſus aliquando, quòd ab amicis pecunias ſæpius caperet: non ideo dixit, capio, vt ipſe vtar, ſed vt illi addiſcant, ad quas res ſit vtendum pecunijs.

QVOD NON PECVNIOSVS, SED liberalis ſit diues. XIV.

IN hoc, diuitiarum cardo omnis vertitur, vt non adeò pecunia, quàm pecuniæ adſit vſus. Sciſcitanti igitur quis eſſet diues, qui inquit, ſuas pecunias, vt Alexander Macedonum Rex, deponit apud amicos. Nec falſo. Nam vt vetus eſt Iſocratis ſententia, nullus præclarior eſt theſaurus, quàm beneficium apud bonos viros collocatum.

QVOD NVLLA ERGA IMPROBOS ſit liberalitas. XV.

QVOCVNQVE me animo, & cogitatione conuerto, non minus eſt viri liberalis improbos deſerere, quam bonis viris præſto adeſſe. Solitus verò eſt tantus Antiſtes dicere, nō eſſe magis contra officium, improbos iacentes excitare: quam illis anſam miniſtrare improbitatis. Laudatur igitur Rex Antigonus, à quo cùm Cynicus talentum peteret, reſpondit non eſſe Cynici talentum accipere: tum ille cùm diceret, da igitur denarium, non eſt reſpondit Antigoni denarium dare. Qua ex re intelligimus non magis expedire improbo pecuniam, quàm febricitanti aquam gelidam eſſe ſuppeditandam. Nam huic interitus: illi infamia miniſtratur.

QVOD LIBERALITAS NON MERITIS accipientis: ſed donantis dignitati magis reſpondere debeat. XVI.

NON coniectura id proſpicimus: ſed experti videmus, aliquid citra meritum accipientis, poſcere dignitatem donantis. Quare, cùm de liberalitate Principum ageretur, conſueuit dicere, nihil ei, qui modo leuiter profuiſſet, non grande ab *illis* eſſe ſperandum: eò quòd dona non fiant ex accipientis imbecillitate: ſed ex magnificentia donantis. Hac ratione Alexander Magnus commotus, cùm ciuitatem cuidam donaſſet, atq; tum indignari æmuli Alexandro inculcarent, non conuenire homini tam humilis fortunæ, tantum muneris: tùm ille non quæro, inquit, quid oporteat illum accipere: ſed quid deceat regem dare.

QVOD RARO AB INCOGNITIS: nunquam ab inimicis ſint capiendum. XVII.

SOLITVS eſt dicere, dona ab incogitis capere, rem non inanem eſſe ſuſpicionis: plenam autem periculi, capere ab inimicis. Nec id, ſi Homerum conſulimus, falſo quidem. Nam quorſum apud eum Aiax, & Hector ſibi inter ſe dona ferentes? vt certè ex vtriuſq; oſtento colligeret poſteritas, non minus dona, quàm vulnera ab hoſte eſſe cauenda. Hæc enim minus læduntur, quia vitantur: illa verò grauius officiunt, quia vt bona excipiuntur. Quare, & Hector Baltheo, quod ab Aiace acceperat, ad currum ligatus miſerrimè ab Achille per exercitum fuit diſtra-

ctus: & Aiax gladio, quo ab Hectore donatus fuerat, crudeliter ſe traiecit.

QVOD EX LIBERALITATE NEMO Reddatur inops. XVIII.

INTERROGANTIBVS amicis quomodo res creſceret familiaris: non rapiendo dixit, ſed largiendo. Serendum enim eſt beneficium, vt metere poſſis fructum. Non eſt in Symbolis obſcura ratio. Nam quorſum in ſacris Ægyptiorum litteris, Mulier dextra menſuram: læua cornucopiæ tenens, interpretationem habet liberalitatis? vt certè inde intelligamus opes non comminui, ſed creſcere cùm liberalitate. Nam ex cornucopiæ quicquid detrahebatur: id omne ſta.im redibat multò, quàm antè cumulatiore menſura.

QVOD LIBERALITAS CONTABESCAT ſine Gratiarum conſociatione. XIX.

CVM nonnullis arctior videretur amicitiæ, quàm ſanguinis conſociatio: alij contra aſſererent. Eò quòd ſanguinis coniunctio nō ſolum nodus ſit amoris: ſed etiam vitæ: in re tam ancipiti, cùm fluctuarent, quærerentq; demum quodnam arctiſſimum eſſet ſocietatis vinculum: Gratiarum dixit, cum liberalitate. Neq; enim liberalitas ſtare poteſt, ſine Gratijs: & Gratiæ intermoriuntur, ſine liberalitate. Frigent enim munera, niſi & capiens largienti, & largiens gratus ſit accipienti. Nam quorſum, quòd Hæ numerantur Gratiæ tres θαλεια: ἰυφροσυνη, ἀγλαΐα: quæ mutuis amplexibus ſic tenentur conſtrictæ, vt ſola intermedia aduerſa: duæ reliquæ ſpectentur auerſæ? pendet

Libera-

Liberalitas, vt ἰυεροσυμ loquitur, non ex re, ſed ex animi, quo res traditur, bonitate: quæ verò ſunt vtrinq; auerſæ gratiæ, docent beneficium nullum, niſi vtilitate, & gloria cumulatum, in beneficum, & benemerentem, reuerti debere.

QVOD TARDA SORDEAT liberalitas. XX.

PRVMPTVM, & expeditum aiebat oportere eſſe beneficium. Nam quemadmodum, qui cito dat, bis dare videtur: ita qui ſerò dat, ſemel dando, cenſetur ſæpius negare: nec conferre, ſed vendere beneficium exiſtimatur. Eſt autem liberalitas vna Gratiarum, quæ Græcè χάριτες ἀπὸ τοῦ χαίρειν gaudendo ſunt nominatæ: ex quo intelligimus id, quod non datur libenter, non ſolum naturam, ſed etiam nomen amittiere liberalitatis. Hæc inter Gratias honoris ergo medium locum obtinet: quaſi nihil liberalitate ſit glorioſius. Deus igitur à Dando, quod omnia det, ab ea virtute nomen accepit.

QVOD LIBERALITAS PRVDENTIÆ conſors ſit, & religionis ſocia. XXI.

IN Dubiorum tenebris, cæciſq; errorum nubibus, cùm grauiter offendant, qui incognita habent, pro cognitis: tum auaros omnes talpa cæciores eſſe dicebat, eò quòd ille oculorum: hi mentis caſſi ſint lumine. cuius ex iudicio maxime prudens habendus eſt liberalis, quid prudens? imò bis, terq; beatus. Itaq; Alexander Magnus, inter Philoſophos de felicitate aliquando

diſputantes, dixit nihil eſſe beatius, quàm multos ſibi donis, & muneribus obſtringere. is enim maximè Dei immortalis, qui proſpicit omnibus, naturá videtur attingere. Quando non ſolum Homines, ſed ſuperi etiá placantur donis, nihil eſt quod à quoquá vir liberalis, metuere poſſit mali. Liberalitas igitur multò, apud me pluris eſt, quàm lapillus Gagacromenon, quem qui gerit, non ſolum ſoſpes, vt volunt lapidarij, ſed etiá victor, ex periculis abit. Quanquam enim, vt aiunt, lapilli huius beneficio Alchides Princeps, & ex nauali, & ex pedeſtri conflictu, victoriam reportauit: multò tamen viri liberalis glorioſa magis eſt victoria, qui non vires, corporis: ſed animos expugnat hominum.

QVOD QVI LIBERALIS EST, vitam maximè agat hominis. XXII.

ETSI difficile eſt, frangere corroboratam vetuſtate opinionem cupidorum hominum, qui pauca honeſtate, omnia definiunt vtilitate: ſolitus tamen eſt dicere, quia homo homini eſt natus, ambigere ſe, num is, qui alteri non prodeſt, vitam agat hominis. idipſum viſus eſt, non ſolum non dubitare, ſed etiam pro comperto habere Veſpaſianus. Nam in cœna aliquando recordatus, quod eo die nemini benefeciſſet, ingeniſcens, dixit ſe de vita, diem vnum perdidiſſe.

QVOD

QVOD LIBERALIS NON TIMEAT ſumptum, ſed amici incommodum. XXIII.

QVONIAM is Amicorum nece, iura omnia cruentat, qui amicos non tegit, in periculis: eorumq; bona expilat, qui illis, in egeſtate opem non miniſtrat: ſolitus eſt dicere, neminem eſſe liberalem, qui impenſas magis timeat, quàm amicorum egeſtates. Hoc olim comprebauit Hiero Syracuſanorum Rex. Nam audita clade, qua Romani apud Thraſimenum Lacum, afflicti erant, trecenta millia modiorum tritici: ducenta hordei: auriq; ducenta, & quadraginta pondo Romanis miſit. quod munus capere ne verecundia impediret, prædã ſimulauit eſſe hoſtiũ: non amici beneficentiam. Quare in eo, vt mittendi volũtas: ſic prudentia cauẽdi nè remitteretur, eſt laudata.

QVOD FELIX SIT, QVI SERVIT Liberali Principi. XXIV.

NVLLA conſpiratio, conſenſuſq; hominum maiorem, in laborioſos homines, ſpirat mercedem, quàm Principis liberalitas. Quare ſolet dicere, eũm multum lucrari, qui Principi ſeruit liberali. vetus, at rarum eſt Alexandri exemplum. Nam Dario ſuperato, cum in itinere videret Agaſonem, qui mulum defeſſum auro onuſtum agebat, à mulo in humeros ſuos ſarcinam tranſtuliſſe, ne eo amiſſo, ipſe quoq; vitam amitteret, & interea ipſum Agaſonem oneri ſuccumbentem, ipſe Agaſoni vicinior factus dixit, vt tibi hoc onus minùs graue ſit, in tabernaculum tuum, aurum hoc deferto: quoniam iam id omne tuum eſſe iubeo.

QVOD LIBENTIVS LIBERALIS Vltrò proſit, quàm rogatus. XXV.

CVM diſtrahitur in multas partes, ac propè exulceratur cupidorum opinione, dandi ius, & ratio: dicebat liberalitatem non ſolum artem eſſe dandi, quæ ſunt danda, & retinendi quæ ſunt retinenda: ſed etiam magiſtram opportunitatis, nec patientem eſſe moræ, & tarditatis. Maius enim euadit munus, licet ſemper idem ſit, quod in loco fit, & tempore: gratiſſimum verò, quod vltrò confertur. præclarum, eſt Archeſilai Philoſophi poſteritati commendatum exemplum. Hic enim Creſibium ægrotantem, inopiaq; rerum preſſum officij cauſa viſens, marſupium auro refertum, clam eius puluino ſubiecit, quo reperto, Archeſilai, inquit Creſebius, hic eſt ludus: quo nemo niſi liberaliſſimus recreatur.

DE

DE MAGNIFICENTIA TITVLVS VNDECIMVS.

MAGNIFICENTIA Græcè Μεγαλοπρέπεια, à μεγαλύνω res grandes facio, dicitur. Eſt igitur Magnificentia magnarum rerum, & excelſarum cum animi quadam elatione adminiſtratio. In hac autem virtute, cùm mihi venit in mentem eximij Senatoris, & Equitis FRANCISCI Seſſe. Eſt quod in dolore, quidem gaudeam: nec poſſum in angore, qui me, alieniſſimo tanti viri tempore, laniat, & lacerat, non pro eximia eius virtute, & conſtantia recreari. Nam quemadmodum Cato nullis vnquàm Caſibus mutatus eſt, nulliq; ſuccubuit tempeſtati: ita Eques ille ſtrenuiſſimus rectæ voluntatis conſcientia potius gaudẽs, quàm aduerſis rerum procellis mærens, tanta ſemper fuit animi conſtantia, vt ſummos tempeſtatum acernos ſibi ad gloriam, virtutis fecerit cumulos. Nam quid altè de ſingulari eius ſapientia repetam? vna eſt ab eo tribus iam ante annis ſcripta Velaſcorum Hiſtoria, in qua tanquam olim Ilias Homeri, in vna nucula, tota temporum antiquitas videtur teneri incluſa. Quare ego in ea, & ingenij acumen, & animi fidem, atq; orantum dicendi, admirabili doctrina aſperſum admiratus, eo ſtudio Hiſtoriam omnem, eam ſum amplexus, vt è vernaculo idiomate, in ſermonem latinum, nõ ſine plurimis vigilijs, & laboribus, traduxerim. Tanta enim arte, tot rerum geſtarum inſignibus, eaq; antiquitatis gloria illam referſit, vt auctor videatur is eſſe, cuius cognitionem nulla poſt homines natos, preterat rerum antiquitas. De ea igitur, eſt cur non parum gratuler huic noſtræ ætati: plurimum verò Antiquiſſi-

mo Velaſchiorum generi, ac in primis Sapientiſſimo Principi IOANNI FERNANDEZ Velaſchio Comiti Stabili: Optimo meo Mecœnati. Magnificentiam autem virtutem in Hiſpania, VELASCHIIS: in Italia ALDOBRANDINIS maximè tribuit, quæ ſicuti principibus eſt glorioſa: ita à pauperibus maximè eſt aliena. Nam his in rebus operoſis, & admirabilibus, agendi nerui, deſunt pecuniæ. Eſt igitur virtus diuitum, atq; in primis Regum, Imperatorum, & Summorum Principum. Atq; vt certis gloriæ Cancellis, teneatur incluſa, refertur potiſſimum ad Hoſpitij Dignitatem: ad victus apparatum: & ad munerum amplitudinem. Hoſpitij dignitas, partim ſplendore ædificij perpenditur: partim munificentia, qua portus & perfugium videatur bonorum omnium: victus autem ratio apparatu ſplendeſcit cum elegantia, & copia: præſertim ſi frequens aſſiſtat concurſus ad nutum parentium. Ad munera deniq; referuntur, veſtes, arma, ſerui, & equi, vtenſilia, agri, pecuniæ, dotes virginum: libertas, ac redemptio captiuorum, atq; alia huius generis. Sed eorum, quæ ex ſapienter dictis, ac reſponſis ſapientiſſimi Antiſtitis, collegi, loci hi ſunt.

1 *Quòd magnificentia non cadat in homines abiectæ fortunæ.*
2 *Quòd ille eſt Magnificus, qui à rebus magnis non ſuperatur.*
3 *Quòd Magnificentiæ ſit, bona fortunæ, tanquam ludibria exiſtimare.*
4 *Quòd non minoris ſit Magnificentiæ, manus continere, quàm multa ædificare.*
5 *Quòd vix quicquam renitatur Magnificentiæ.*
6 *Quòd menſæ Magnificentia, non luxuriæ apparatu, ſed temperantia ſit definienda.*
7 *Quòd in excipiendis amicis, nõ ſumptus debeat ſpectari, ſed decus.*

Quòd

8 *Quòd Abiectis magnifica veſtis ſit ignominioſa: fortibus vero abiecta ſæpè glorioſa.*

QVOD MAGNIFICENTIA NON cadat in homines abiectæ fortunæ. I.

NON poteſt quis, ſine re ampla, eſſe magnificus. ratio eſt ab omni dubitatione diſiuncta. Nam interroganti quis eſſet Magnificus: qui muros vrbis, reſpondit, qui naualia: aquarum ductus: Theatra: porticus: fana, & omnia extruit, quæ ad communem vſum ciuitatis pertinent: nedum ædes in cœlum erectas. Domus vero viri Magnifici non auro, non ebore, non argento, vt ſentit Homerus: ſed ſpolijs hoſtium magis eſt ornanda. illa enim incontinentiæ ſunt blandimenta: hæc veræ virtutis monimenta.

QVOD ILLE EST MAGNIFICVS, Qui à rebus magnis non ſuperatur. II.

BONO viro id omne eſt dependendum, quod ſpondet ratio. Interroganti igitur quid eſſet maximum, non vinci, dixit beneficio. quid ſecundum? non egere ait, potius, quàm abundare. In vtroq; non deſunt gloriæ Lumina. In altero fuit Alexander Macedo Terrarum Princeps, ſingulare Magnificentiæ exemplar: qui prædicare eſt ſolitus, vt refert Cælius, ſe à nemine vnquam benignitate fuiſſe ſuperatum. In altero omnibus etiamnum eſt exemplo Democritus, qui non modo humana omnia eſt aſpernatus: ſed etiam luminibus ſe priuauit, vt

quantum detraheret oculis, tantum adderet menti ad doctrinæ lumen, & rationi. Itaq; caſſus lumine, ſolus plus, quàm vniuerſa ferè vidit Græcia.

QVOD MAGNIFICENTIÆ SIT, Bona fortunæ, tanquàm ludibria exiſtimare. III.

NON minus aiebat eſſe domiciliũ Magnificentię, in contemptione, quam in largitione pecuniæ. eò quòd hoc etiam eſt ambitioſi, illud ſolum viri boni. Quare Phocion Athenienſis, nihil, in magnificentia concedit Alexandro Magno. Hic enim cum audiſſet plures eſſe mundos, ingemuit, quòd vix vnius eſſet dominus: ille nec habuit quicquam, nec habere voluit. Hic ex Perſica Gaza bello parta, Phocioni magnum auri pondûs miſit: ille recuſans interrogauit ab ijs, qui munus attulerant, cur ad te ſolum tantum auri, Rex mitteret: quia reſponderunt te omnium Græcorum optimum eſſe arbitratur. Sinite igitur inquit, eum eſſe me, quem ille me eſſe arbitratur. credidit homo magnificentiæ amicus, nihil fieri poſſe magnificentius, quàm in continentiæ gyro omnes frenare appetitus.

QVOD NON MINORIS SIT MAGNIficentiæ manus continere, quàm multa ædificare. IV.

CVM de rebus geſtis, multorum laus communi omnium ore eſſet diffuſa, & diſſipata: tum interroganti cuidam, quis eſſet Magnificus, non qui nouit reſpondit

ſpondit diteſcere, ſed alios ditare. ſic laudatur Valerius Publicola, qui ter ex hoſtibus victis triumphauit: cæterum tam pauper diſceſſit, vt publico ſumptu ſit funeratus. Ex quo non minus gloriæ reportauit: quàm Agrippa, qui in ſua ædilitate ſeptingentos lacus fecit: fontes mille, & quinquaginta: Caſtella erexit ſupra mille, ſtatuas æreas poſuit ter centum: columnas è marmore quadringentas.

QVOD VIX QVICQVAM RENITAtur munificentia. V.

SOLITVS eſt dicere, res omnes ex difficillimis, munificentia reddi facillimas. Nam homo natura auidus, quia capitur auro, non eſt ſui iuris: ſed aurum largientis. Elegans eſt fabula. Atalanta Schænei filia, cùm mira corporis velocitate præſtaret, & à nuptijs omnino abhorreret, procis ſuis curſus certamen propoſuit, in quo victum mortis pœna: victorem coniugij ſui præmium ſequereretur. Multis itaq; ſuperatis, tandem ab Hippomene, Veneris conſilio victa nupſit victori. Nam ex Damaſceno agro, ei tria mala aurea donauit, vt in curſu proijceret virgini, quæ cùm ſequeretur virgo, ille victor euaſit. Hoc commento docent Poetę, muneribus ſumma quæq; facile expugnari, nec eum difficile capi, qui paratior eſt ad capiendum, quàm ad largiendum.

QVOD

QVOD MENSÆ MAGNIFICENTIA, Non Luxuriæ apparatu: ſed Temperantiæ ſit definienda. VI.

CVM Romæ regij ferè cernerentur apparatus, nec pauci plurimis curis eſſent diſtenti, quo magnificentius aduentantes Heroes exciperent, interrogatus à quodam Principe, cuius menſam magis laudaret: Maſiniſſæ Regis, dixit, potius, quàm Cleopatræ vltimæ Ægypti Reginæ: menſarum ornamentum temperantia, non luxuria definiens. Ille enim ſemel tantum interdiu veſcebatur, & ſine pulmento: Hæc autem in apparatu vſq; eo exceſſit, vt Cœnam parauerit Antonio, in qua Centies ſeſtertium, id eſt ducenta, & quinquaginta millia aureorum, vno ferculo ſecundæ mentæ, conſumpta ſunt.

QVOD IN EXCIPIENDIS AMICIS non ſumptus debeat ſpectari, ſed decus. VII.

QVANDO nonnulli in certamen de Hoſpitalitate, & diſcrimen veniſſent: quæſijſſetq́; ſubtilis quidam diſputator, quis magnificè amicos hoſpicio exciperet, qui reſpondit magni amicitiam, parui pecuniam æſtimat: ſic apud Romanos laudatur L. Lucullus. Nam cum animaduerteret eadem menſa ſæpe amicitiam eſſe depaſcendam: domum ſic conſtituit, vt pro varietate amicorum, varia eſſet tricliniorum ratio. vnum quodq́; igitur cænaculum non ſolum ſuo appellauit nomine, ſed etiam ſuo definiuit prætio, & apparatu. Siquidem in Apolline, quod cænaculum

culum nomen erat: quingenta millibus cœnari conſueuit. habebat enim cuncta adeò apparata, vt domeſticis ſatis eſſet cœnaculi nomen intelligere.

QVOD ABIECTIS MAGNIFICA Veſtis ſit ignominioſa: fortibus vero abiecta ſæpè glorioſa. VIII.

QVEMADMODVM, inquiebat Herculis glorioſum erat exuuio indui Leonis, ei verò, qui non erat Hercules, ignominioſum: ita magni intereſt, quo quis vtatur veſtitu. Nam cùm veſtis dicatur à vehendo, quod ſtatum vehat cuiuſq; perſonæ, ſumma ſemper apud Antiquos, de veſtitu, fuit religio. Quare Lyſander, cum à Dionyſio Siciliæ Tyranno, pro filiabus, veſtes precioſiſſimas accepiſſet, illas remiſit metuens, ne illis indutæ deformiores fierent. vexillum enim in Luxuria veſtium, eſt incontinentiæ, quæ deformitatem omnem propè habet animi. Itaq; Annibal eodem Sago, quo gregarius miles, vtebatur. Dionyſius verò Syracuſanus, cùm in fures omnes grauiſſimè animaduerteret, his tamen ignoſcebat, qui croco, & auro veſtes ſuſtuliſſent, quo admoneret mortales ab ornatus luxuria eſſe abſtinendum.

DE

DE GRATI ANIMI VOLVNTATE.

TITVLVS XII.

GRATI animi voluntas eſt, vt inquit Cicero, in qua amicitiarum, & officiorum memoria, cum remunerandi voluntate continetur. Date enim Liberalitatis eſt: accipere verò, & referre velle, gratiæ proprium. Illius eſt dati beneficij obliuiſci, huius vero meminiſſe; & cum datur opportunitas, etiam cum fœnore, ſi poſſit, reddere. Inde, vt Plautus ait, quod bonis benefit beneficium: gratia ea grauida eſt bonis. Debemus igitur, ſi Heſiodo modò credimus, in referenda gratia imitari agros fertiles, qui multò plus afferunt, quàm acceperunt. Etenim non dare, multis licet: non reddere nemini. Duæ quippè ſunt iuſtitiæ potiſſimum partes, gratia, & pœna, quibus reguntur vniuerſa. Sed vna longè eſt præſtantior altera. Nam qui gratiam refert, non curat liberalem, ſed ſeipſum: qui verò iniuriam punit, non ſe perficit: ſed iniuriæ auctorem. Iccirco Cato ſenior aiebat, malle ſe pro collato beneficio, gratiam non recipere, quàm pro illata iniuria ſupplicium non ſubire. Eſt gratia, & Deo, & hominibus virtutum omnium iucundiſſima, quàm qui habet, ideo gratus dicitur, quia apud Deum neq; religio, neq; pietas, neq; obſeruantia: nec apud homines vlla virtus ſine grati animi volũtate, coli, & obſeruari poteſt. Hac vna virtute, cùm ab omnibus optimi Cardinalis fides, & prudentiſſimi in periculis propulſandis conſiliũ vnicè ametur: tum à ſapientiſſimo Senatore LVDOVICO

Madio,

Madio, ſummis laudibus celebratur. quod minimè ſoleo mirari. Noui enim Senatorem eum, omnium eſſe gratiſſimum. Nec vnquam Rex Attalus adeò in P. R. gratus fuit, qui ab eo honoribus auctus, ei deinceps memor beneficij, Aſiam teſtamento legauit: quàm princeps ille virtutis, & doctrinæ Madius erga Cardinalem ALDOBRANDINVM, propter ſumma ac incredibilia eius merita, ſemper extitit. Nam ſi muneris ratio, non ex rei magnitudine, ſed ex animi voluntate penditur: nihil eſt cur in munificentia, Attalo Regi debeat concedere. ille enim Populo Romano multò minora præſtitit, quàm potuit præſtare: hic verò, ita erga ſapientiſſimum illum Antiſtitem continenter eſt animatus, vt plura etiam eius gratia conetur, quàm nauare poſſit, & efficere. Quæ ille verò de grati animi voluntate fudit Apophthegmata, eorum ſeries hæc eſt.

1 *Quòd non ſolum rerum euentus, ſed etiam ſine euentu, ipſi conatus præmio, ſunt compenſandi.*

2 *Quòd minus ſit Principis beneficio, quàm ferro ſuperari.*

3 *Quòd Principi nulla labes ſit minus, quàm ingrati animi nota ferenda.*

4 *Quòd ſine ope, frigeat in miſeros, verborum conſolatio.*

5 *Quòd benefico nulla merces ſit vberior, quam gratia.*

6 *Quòd, non relatæ, apud Principes gratiæ, nulla ſit excuſatio.*

7 *Quòd nullum beneficium, gratiam maiorem exigat, quàm honor.*

8 *Quòd inſtructio, & diſciplina magnos gratiarum aceruos ſibi vendicet.*

9 *Quòd Magnam is referat gratiam, qui apud virum bonum beneficium collocat.*

10 *Quòd ingrato homini, qui benefacit, ſibi efficit.*

11 *Quòd grati animi expectatione, virtus nutriatur populi.*

12 *Quòd qui gratus eſt, fortis item ſit, & benignus.*

13 *Quòd ingratus ſuo ſe iugulat gladio.*

14 *Quòd cùm bono viro, non moriatur, quæ ei debetur gratia.*

15 *Quòd in Beſtijs, quaſi gratæ voluntatis ſit ſenſus.*

16 *Quòd ex Gratiarum ſinu, nata ſit, quæ ſumma eſt gloria.*

17 *Quòd Mortui cum externis bonis, non amittant gratiam.*

18 *Quòd in armis vincere munificentia, non minus glorioſum ſit, quàm ferro.*

19 *Quòd Grato viro pluris ſit gratia, quam vitá.*

20 *Quòd Beneficos perſequatur gratia etiam mortuos.*

21 *Quòd ne verbum quidem benè collocatum, præmio & gratia ſit indignum.*

22 *Quòd in reſtinctis, pro virtute, reuiuiſcat gratiarum gloria.*

23 *Quòd ad popularem beneuolentiam, nihil ſit Principis facilitate, & gratia accommodatius.*

24 *Quòd nullum maius ad Principem, quàm beneficientia redeat vectigal.*

QVOD NON SOLVM RERVM euentus, ſed etiam, ſine euentu, ipſi conatus præmio ſint compenſandi. I.

ADMIRANTIBVS nonnullis, quòd quæ res magnæ videbantur, exiguo interdum: quæ paruæ, magno à CLEMENTE VIII. ſæpè compenſarentur præmio: dixit non rebus, ſed voluntati, & ſtudio gratiam parem, & æqualem eſſe oportere. Docuit id aliquando Sibylla Cumana. Hæc enim nouem libros Tarquinio Superbo obtulit, pro quibus trecentos aureos Philippeos poſtulauit, Rex abnuit: illa indignata, libros tres in conſpectu Regis

eremauit: pro ſex reliquis, idem pretium poſcens: rurſus à Rege contemptui habita reliquos tres exuſſit, & pro tribus, qui ſupererant, nihilominus eandem ſummam popoſcit. Hoc teſtimonio doctus Rex, quod non rebus, ſed ſtudio, quo res efferuntur, parem gratiam eſſe habendam: data pecunia illa, Sybillam voti fecit compotem. Non enim ex librorum interitu, deminuta erat, quæ antè ſolers eius, & diligens fuerat opera.

QVOD MINVS SIT PRINCIPIS beneficio, quàm ferro ſuperari. II.

QVEMADMODVM qui non ſunt ſoluendo, rem differre quotidiè ſolent, & procraſtinare: ita qui dubitant, rei quæſtionem non ſolent diluere, ſed eius certamen, & diſcrimen dicendo augere. Cum igitur ſummis dubijs delibuta ſit gratia Principis, interroganti cuidam, quod morbi genus vitare deberet Princeps: ingrati potiſſimum reſpondit animi. Nam regium eſt magis beneficentia, quàm potentia vincere. Quare Pyrrhus Epirotarum Rex, cum in reſpondenda gratia ſolertiſſimus fuit: tum nullam ex re grauius dolebat, quàm ſi parum alteri, in amore, & officio reſpondiſſet. Itaq; cum de morte Æſopi, quo familiariter vſus fuerat, accepiſſet nuncium: grauiter indoluit, non quòd ille de vita migraſſet: ſed quòd tardior fuerat in referenda ei gratia. Non enim idem eſt pecuniam, & gratiam debere. Nam illa poſt mortem hæredibus: hæc non niſi viuentibus reddi poteſt.

QVOD PRINCIPI NVLLA LABES ſit minus, quàm ingrati animi nota ferenda. III.

EST ingrati animi nota, non ſolum cũ dedecore: ſed ẽt cum ſcelere coniuncta. Cuidã igitur interroganti, quid maximè, cauere deberet Princeps, qui omnium optimus habetur, & ſapientiſſimus, vt ne minima, dixit, adſit ingrati animi ſuſpicio. Idipſum Cimon, apud Athenienſes ſentiens, etiam in Beſtias, quarum vſus eſſet opera, poſt opus, gratiſſimus fuit. Itaq; Equorum monumenta, quorum opera, victor in olympiacis ludis, coronatus fuerat, iuxta ſepulchrum ſuum, magna impenſa, collocari voluit: ne ingratus, vlla ex parte, mutis etiam animantibus haberi poſſet. Siquidem ingratus, non ſolum, vt aſſerit Plautus, improbus eſt homo, qui beneficium ſcit ſumere, & neſcit reddere, ſed etiam impius, quia qui naturam violat, fit beſtia deterior.

QVOD SINE OPE, FRIGEAT IN miſeros verborum conſolatio. IV.

ITA loquitur, vt in digitis ſuis ſingulas cauſæ partes ex tempore conſtituere videatur. Inquiebat ibi, vbi opus eſt facto, rem omnem relangueſcere conſilio. Teſtis eſt Anaxagoras. Hic enim cum iaceret in rerum anguſtijs, & deſperatione: illum Pericles beneuolè monebat, ne ſe perderet, ſed amicis ſeruaret: cui ſtatim ille, ò Pericle dixit, qui lucerna indiget, oleum inſtillat. Hæc ſententia velim in noſtrorum hominum animi. ſit defixia, qui nihil, præter bona verba, norunt imitari.

QVOD BENEFICO NVLLA MERCES ſit vberior, quàm Gratia. *V.*

VIRTVTEM non ſolum miniſtrat, ſed etiam ornat læpidiſſimis ſuis dictis. Solitus autem eſt dicere, quæſtuoſum magis eſſe dare, quàm accipere. Qui enim dat, facit ſæpè dando vt capientem capiat. Graue eſt, & fide dignum Socratis teſtimonium. magna quippè diligentia Æſchinem diſcipulum cùm inſtruxiſſet, nec haberet diſcipulus vnde perſolueret: Socrati, loco mercedis, gratias egit, quòd ei, vbi res tempuſq; poſtularet, ſemper præſto eſſet futurus. tum Socrates, reddis, inquit, Æſchines gratiam habendo, mercedem cumulatiore, quàm arca poteſt capere, menſura.

QVOD NON RELATÆ APVD Principes Gratiæ, nulla ſit excuſatio. *VI.*

CVM quidam non reſtituti beneficij crimen, cum Principe frugalitatis laudibus depreca- retur: dixit nihil eſſe facilius, quam apud Principes acceptum rependere gratia beneficium. Nam vt ſcribit Heſiodus, ſicuti Superi qui maxima, in dies bona largiuntur mortalibus, paruo thure ſunt contenti: ſic Principes, & magna dando, & parua capiendo lætari ſolent.

QVOD NVLLVM BENEFICIVM, gratiam maiorem exigat, quàm honor. VII.

SCISCITANTI cuiuſnã ſagax, & prudens in referenda gratia, deberet eſſe excogitatio principis: eius potiſſimã dixit, qui aliquo colluſtratus eſt honoris ſplendore. ita ſuperior Scipio, Ennio non ſolum viuo gratiam retulit: ſed etiam mortuo. Nam poetæ illius effigiem, in monimentis Corneliæ gentis collocari voluit, vt ei gratiam referret, à quo laudatus fuerat.

QVOD INSTRVCTIO, ET DISCIPLINA magnos Gratiarum aceruos ſibi vendicet. VIII.

NIHIL eſt indiſerta eruditione languidius, tantaq́; eſt Gratiarum cum Muſis neceſſitudo, vt diceret eum, qui pro eruditione, gratiam nõ rependeret, ingratiorem eſſe, quàm qui gratias ipſas truculento ſcelere exulceraret. vix enim vllæ poſſunt cum inſtitutione, & doctrina, pares inueniri gratiæ, liquet id vulgato Alexandri teſtimonio. Hic quippè Ariſtoteli Magiſtro, & Philippo patri pares gratias ſe debere dicebat, quòd ab altero vitam: ab altero vitæ ornamenta accepiſſet.

QVOD MAGNAM IS REFERAT gratiam, qui apud virum bonum beneficium collocat. IX.

CVM multorum linguam, in ingrati animi turpitudine ſuffuſos, rei exacuat turpitudo: interroganti cuidam, quid viro bono in collatione beneficij, maximè

maximè eſſet metuendum: non impenſa dixit eſt formidoloſa, ſed ingrati hominis perſona. Nam vt Actæon à ſuis canibus: ſic beneficus ab ijs ſæpè laceratur, quibus benefecit.

QVOD INGRATO HOMINI, QVI Benefacit, ſibi officit. X.

INQVIEBAT Ingratum hominem nefario ſceleri, nexu & mancipio eſſe proprium: vſu, & fructu ne ſuum quidem. Itaq; quoniam beneficium compenſat, maleficio, eum ſibi officere, qui illi non vereatur prodeſſe. Elegans eſt, per viperam, in Symbolis, teſtimonium. in earum enim genere femella marem admiſſum, præ voluptate rei Venereæ, mordicus truncat capite: hæc verò deinceps gerens in vtero, à ſobole, cui vitam dedit, deſciſſa, dum illa per vteri medium prorumpit, miſerè interit.

QVOD GRATI ANIMI EXPECTAtione virtus nutriatur populi. XI.

GRATI animi exemplis, quaſi nutrimentis aiebat eſſe educanda, inter mortales, virtutum ſtudia. Nec enim aliam ob rem Populus, vel Atheniensis publica alimenta, ad extremum vſque vitæ diem mulis decreuit, quorum opera in Hecatumphylo ædificando, vſus eſſet: vel Romanus Anſeres, in honore habuit, quòd dormientibus vigilibus, cùm Galli in ſummum Capitolium perrepſiſſent, clangore Romanos milites excitaſſent, niſi, vt ſpe grati animi omnes, ad optimè de patria promerendum, concitarent. Statuit enim P. R. vt in eo loco, in poſte-

rum magnus anſerum numerus, publica impenſa aleretur, atq; ad eam rem, Cenſores inter Publica onera, publicanos primo obligauit.

QVOD QVI GRATVS EST, FACILIS item ſit, & benignus. XII.

CVM omnium aures ſitientes expleat plurima eruditionis iucunditate, tum interroganti quid primùm viro grato eſſet difficile, beneficij dixit obliuiſci: deinde quid facile, iniuriæ reſpondit, non recordari. Præclara verò vox, & æternitate memoriæ digna. exemplum verò in Cæſare minimè contemnendum. Hic enim captis, apud Pharſaliam Pompei Scrinijs, epiſtolas omnes incluſas, bona cremauit fide, nulla earum lecta, ne timor in vrbe recrudeſceret vindictæ. Maluit igitur, qui eſſent inimici ignorare, quàm ſui metu inimicos ſolicitare.

QVOD INGRATVS SVO SE iugulat gladio. XIII.

INQVIEBAT ingratum hominem, ſuo ſe artificio eruditum perdere. quare ex omni ſalutis ſpe expulſus eſt, & eiectus. ſalsè id loquitur hic Apologus. Cerua quondam venatores fugiens, ſub vite delituit. cùm autem ex eorum ſeceſſu, ſe in tuto eſſe exiſtimaret gratiarum loco, pampinis ſe ingurgitare cæpit. at ſtatim conuerſi venatores, & quod res erat arbitrati, ſpiculo ceruam traiecerunt. Tum illa moriens, qui nocet, dixit, de ſe benemerentibus, ſe ipſum prodit. Nam ingrati animi lues fontem exhaurit pietatis.

QVOD

QVOD CVM VIRO BONO, NON moriatur, quæ ei debeatur gratia. XIV.

NIHIL apud antiquos, maiori cura, & cogitatione Seruabatur, quàm gratia. Ipſe verò inquiebat gratiam neſcire mori: ſolamq; viro bono poſt mortem eſſe ſuperſtitem. Hoc ipſum itẽ cum ſilentio, loqui videtur vrbs Athenarum. Hæc enim mortuo Ariſtidi, Gratiam reſeruauit. Nam filias eius honeſtè dotatas, ex publico Palatio ad virorum ædes deduxit: Lyſimacho autem filio centum argenti minas, & totidem agri iugera, quadragintaq; dragmas in ſingulas dies, vnde viueret, contulit.

QVOD ETIAM IN BESTIIS, quaſi gratæ voluntatis ſit ſenſus. XV.

CVM nihil videatur natura, turpius ingrato homine euomere, atq; foras proijcere: tum ille ſolitus eſt dicere ingratum hominem, fera beſtia ideò eſſe deteriorem: quòd etiam in feris beſtijs ſenſus aliquis reſideat quaſi gratæ volũtatis. Inſigne eſt Elephantis exemplũ. Nam cum Pyrrhus in vrbem Argos irruiſſet, Elephàs in ipſo vrbis ingreſſu, magiſtrum à quo regebatur præſenſit interemptum: cuius dolore percitus, ſine diſcrimine amicos, hoſteſq; vrgendo in exercitum progreſſus, non prius deſtitit, quàm Magiſtri cadauer adinuenit: quod propoſſide, ac dentibus captum retro in tutum ab hoſte locum retulit.

QVOD EX GRATIARVM SINVATA ſit, quæ ſumma eſt gloria. XVI.

RES eſt cœlo, & hominibus iucunda, grati animi voluntas. Quare ſolet dicere eum, qui gratus eſt, Numen potius, quàm nomen inter mortales, poſſidere virtutis. Itaq; ſingulari, & propè diuina colitur obſeruantia. Gratus fuit T. Flaminius: nō ingrata in eum ipſa Græcia. Nam poſt Philippum Regem victum, vbi Græciæ populis, quorum libertatem Macedonum Rex oppreſſerat, priſtinum fortunæ ſtatum, publica Præconis voce reſtituit: tantus populi clamor, in eius honorem eſt in cœlum elatus, vt aues ſupernè volantes, ad terram deciderint. Quin multò maiora etiam grati animi argumenta extiterunt. Nam Chalcidenſes diu, in eo perſeuerarunt, vt nulli Deorum, templum, niſi Flamminij nomine appoſito, dedicarent, vt Herculi: Mineruæ: Neptunoue, & Flamminio ſacrum inſcriberent.

QVOD MORTVI CVM EXTERNIS Bonis, non amittant Gratiam. XVII.

NON poteſt, inquiebat, Mors benè merenti lucem gloriæ eripere, & quaſi noctem quandam eius ſplendori offūndere: viuit enim continenter beneficij memoria in eorum animis, qui beneficium acceperunt. Teſtis eſt ille Romanarum Mulierum luctus: quæ Iunium Brutum, ob Lucretiæ violatam pudicitiam, inſigniter vindicatam, annum integrum luxerunt. Teſtes ſunt fumoſæ illæ Heroum imagines, & ſtatuæ conflatæ, ac deniq; Panegyrici aliorum ſæculis conſcripti.

QVOD

QVOD IN ARMIS VINCERE munificentia, non minus glorioſum ſit, quàm ferro. XVIII.

RATIONEM præcipitem ex ſua ſede, inquietabat ab eo exturbari, qui ex bello gratiam exturbaret. eò quòd, in armis non magis de iniuria: quàm de grati animi gloria, ſit confligendum. Id etiam Demetrius Aſiæ, & Ptolemæus Ægypti Reges, poſteris reſtatum reliquerunt. Nam cùm inter vtrumq; bellum conflatum eſſet capitale, belli tamen iura vterq; conatus eſt ſumma beneficentia, non ſolum honeſtare: ſed etiam alter alterum ſuperare. Itaq; Ptolemæus cùm Demetrium prælio viciſſet, eumq; impedimentis ſpoliaſſet, illi Regiam, tentorium, cum alijs opibus, captiuiſq; charioribus remiſit, noncians inter ſe de gloria, non de opibus certamen eſſe. Ptolemæo autem Demetrius cùm gratias egiſſet, reſpondit Deum ſe magnopere orare, vt cito parem ei gratiam pro accepto munere, poſſet referre. Nec multò poſt Demetrius Cilem Ptolemæi Ducem collatis ſignis ſuperauit, quem captum, cum omni aliorum captiuorum manu, dono Regi remiſit.

QVOD GRATO VIRO, PLVRIS quàm vita, ſit ipſa Gratia. XIX.

QVONIAM non procacitate linguæ, ſed plurimo rerum diſcrimine, vitæ ſordes eluuntur, ſolitus eſt dicere, illum nullam habere amicitiæ gratiam, cui potior ſit vita, quàm gratia. Sapienter ille quidem. Teſtis eſt, per Antiochi Regis equum, ipſa natura. Siquidem Centaretrus Gallata cùm Regem Antiochum,

tiochum, in prælio occidiſſet, exultans gloria, Regis equum conſcendit, verum vbi equus tergo ſuo domini hoſtem inſidere ſenſit: ſtatim frænum momordit,atq; citato curſu ad eminentiſſimum ſaxum contendit: ab eoq, vt Domino mortuo gratiam referret, ſe, & inſidentem ſimul hoſtem præcipitauit. eaq; re docuit, antiquiorem mortalibus grati animi voluntatem eſſe oportere, ſine vita: quam vitam, ſine grati animi voluntate.

QVOD BENEFICOS PERSEQVATVR gratia etiam mortuos. XX.

INQVIEBAT tantam vim eſſe gratiæ, vt quæ honorum inſignia, in Imperatorum triumphos eſſent conſtituta: ea in reſtinctorum funera,non veritus ſit Populus Romanus expromere. Enituit hoc animi grati ſpecimen erga Q. Fabium Max. Nam cùm quinq; Conſulatibus benè beateq; adminiſtratis deceſſiſſet, certatim æs contulit, quò maior ac ſpecioſior, eius funeris pompa duceretur. ex quo non difficile eſt cognitu,optimum quemq; glorioſius ſepeliri, quàm ignauos viuere.

QVOD NE VERBVM QVIDEM benè collocatum, præmio, & gratia ſit indignum. XXI.

QVEMADMODVM oratio mores effingit hominum: ita morum commendationem habet grati animi voluntas. Inquiebat igitur nullum verbũ, apud Principem benè collocatum,ſua vacare mercede, & gratia. Non minus graue quàm laudabile eſt Philippi

pi Macedonum Regis Teſtimonium. Hic enim cùm, in ſubhaſtatione quorundam captiuorum, ſpectator eſſet, veſte ſupra genua collecta ſedens: tum captiuorum vnus exclamauit iura à Philippo violari amicitiæ, quòd eius amici eſſet filius. petijt Philippus vt nomen exprimeret: reſpondit captiuus ei ſoli ſe dicturum. vicinior igitur factus, veſtem, ait, ò Rex, quàm ſupra genua collegiſti, dimitte: neq; enim ita ſedendo decorem ſeruas. Hoc verbo audito Philippus, vt amicæ admonitioni gratus eſſet, captiuum ſtatim, veluti amicum liberauit.

QVOD IN RESTINCTIS, PRO virtute reuiuiſcat gratiarum gloria. XXII.

QVOD gloriæ principium, ex Gratiarum fonte trahitur, etſi neq; inuenire, neq; euoluere exitum quis poteſt: ſummum tamen viro forti, inquiebat, deberi Gratiæ ornamentum. Nam qui pro publica vtilitate, vitam contemnit, is villicus fit publicæ laudis, & gloriæ. Quod cum ſentiret Solon, legem tulit, vt qui in bello occubuiſſent, præmijs honoribuſq; eorum filij publicè alerentur, & inſtituerentur. Romanorum autem legatis, qui à fidenatibus occiſi erant, ex Senatuſconſultò, quia ob Remp. occubuerant, ſtatuæ pro Roſtris, poſitæ fuerunt.

QVOD AD POPVLAREM BENEuolentiam, nihil ſit Principis facilitate, & gratia accommodatius. XXIII.

AD Interitum, exitiumq́; ciuilis diſcordiæ, nata eſt in Principe gratia, & morum facilitas. Quare id frequenter in ore habebat, & ſermone: popularis quietis officinam eſſe Principis benignitatem, & gratiam. Nam, vt ſerenum quietumq́; cœlum, maria omnia reddit tranquilla, & pacata: ex eoq; ceſſant omnes fluctuum tempeſtates, & procellæ: ſic ex Principis fronte ſerena, ciuium omnium placantur animi, & ex communi ſpe, omnium concordia augetur.

QVOD NVLLVM MAIVS, AD Principem, quam beneficentiæ redeat vectigal. XXIV.

SCISCITANTI cuidam quod optimum Princeps, ex ciuitate caperet vectigal: quod populus reſpondit, pendit potius ex honore, quàm ex onere. Idipſum patet, & Tiberij Cæſaris, & Alexādri Magni teſtimonio. Ille enim vrgentibus amicis, vt prouinciarum augeret vectigalia, dixit eſſe boni paſtoris tondere, non deglubere oues: Hic cùm accepiſſet longè vectigalium plus à ciuitatibus exigi poſſe, odi reſpondit olitorem, qui radicitus herbas excidat.

DE VERITATE TITVLVS XIII.

FALSITATIS prouincia, vt ait Philo eſt terra: cœlum veritatis domicilium. Illius fame, & fama mortales: huius nectare, & ambroſia victitant ſuperi. itaq; vt lapis Lydius aurum indicat: Sic hominum virtutem, omnipotens veritas. Nec verus quis habetur iuris, & iuſtitiæ miniſter, niſi qui cenſetur abdita, & retruſa intelligere: æqua & iuſta operari, atq; vera potius loqui, quàm grata. Veritas enim res eſt omnium iuſtiſſima: dixi quaſi validiſſima. Nam ſola omnes humanas cogitationes ſuperat. Ego igitur, quia ſuauius ſemper eſſe duxit vera dicere, quàm audire, eius de veritate ſapienter dicta, in hunc ordinem congeſſi. Quanti autem ſit veritas non ſolum teſtis eſt locupletiſſimus ſapientiæ hic Antiſtes, ſed etiam Antiquitatis Decus Pythagoras. Interrogantibus quippè aliquando amicis, quid mortales Deo faceret ſimiles: veritas reſpondit. Nihil enim eſt Deus, niſi lumen ipſum veritatis. Hùc pertinet Magorum auctoritas. Nam illi maximum Deorum, quem Oromagden vocabant, corpore quidem aſſerebant eſſe luci ſimilem: animam autem veritati. veritas enim obſcuriſſimam mendatij noctem pællit, eiuſq; veluti quodam Sole illuminantur rerum omnes tenebræ. Quapropter veritati famulatur prudentia, eiuſq; miniſtræ ſunt omnes ſcientiæ, & artes ingenuæ. Teſtis eſt grauiſſimus, Senator LAVRENTIVS Pola, cuius in fide, probitate, atq; conſilio, tanquàm in ſua ſede, & domicilio ius omne quieſcit, & veritas: quæ in ſapientiſſimo eo Senatore multò eſt ad imperij incolumitatem, quàm Herculis clara validior.

Nam

Nam Hercules nullam vnquam Clauæ vtilitatem accepit, ſine pugnæ incendio: LAVRENTIVS autem Pola plurima iuſtitiæ, & veritati commoda attulit etiam non pugnando. Ad veritatem autem tutandam, cuius in clauſtris ars omnis habitat, & doctrina, quia nihil eſt indiſerta oratione languidius, eam dicendi artem ſibi comparauit ſubſidio, vt nihil pro communi vtilitate, conſueuerit orare, quod ſtatim etiam ab inuito populo, non videatur exorare. Multò quippè maior eſt, in publici muneris, & officij adminiſtratione, eloquentiæ vis, quàm aut in bello armorum, aut in otio, & pace, literarum. Cùm enim nulla ferè res ſit, quæ quaſi mendacij non aſpergatur maculis, vix vlla eſt aut rei, aut ſuſpicionis infirmitas, cuius medicina non ſit, in veritate poſita. Sed multa ſunt ex ſapientiſſimo eo Principe monimenta veritatis, cuius loci, & quaſi Apophthegmatum notæ hæ ſunt.

1 *Quòd veritatis fucus non ſit à Principe ferendus.*
2 *Quòd Principi nullus ſit, veritate iucundior nuncius.*
3 *Quod Res ſit inſidioſa veritati opinio.*
4 *Quòd Res ſit glorioſa, rara tamen veritas.*
5 *Quòd Principis ſit non veriſimilia, ſed vera ſequi.*
6 *Quòd Imperium cedat veritati: non Imperio veritas.*
7 *Quòd aut Metus, aut periculi gratia, quæ data eſt fides, non ſit deſerenda.*
8 *Quòd Res ſit perfida ambitio.*
9 *Quòd fraudulenta fides, non ſit fides.*
10 *Quòd res ſit ſuſpecta, hominum fides.*
11 *Quòd in Iudicio mendacium veritati cedat, non veritas mendacio.*
12 *Quòd veritas non alia, alijs ſit temporibus.*
13 *Quòd virtutes omnes, in veritatis clauſtris teneantur incluſæ.*

Quòd

14 *Quòd ſine veritatis luce, intermoriantur artes omnes & ſcientiæ.*
15 *Quòd Res ſit inuentu difficilis veritas.*
16 *Quòd ſuadendi vis ſumma ſit in veritate.*
17 *Quòd Humanæ coniunctionis nodus, vna ſit veritas.*
18 *Quòd veritas ad Principem maximè pertineat.*
19 *Quòd veritas æquè mente, atq; oratione loquentis ſit depaſcenda.*
20 *Quòd non debeat eſſe venalis, ſed gratuita veritas.*

QVOD VERITATIS FVCVS NON Sit à Principe ferendus. I.

ETSI res eſt tam latens, & retruſa veritas, vt Argum etiam ſæpè fallat: ſolitus tamen eſt dicere, putidum eſſe Principi, non modo dicere, ſed etiam audire, quod à vero ſit alienum. audire enim qui non recuſat, facit audiendo, vt animi næuos, & rationis nubeculas auribus hauriat, ſeq; alterius mendacij plurimis aſpergat maculis. Mentiri autem eſt peruerſitatis: mendatium effutire inſcitiæ. illud enim eſt callidi, & veteratoris: hoc creduli magis, & inconſideranti animi.

QVOD PRINCIPI NVLLVS VERItate iucundior ſit nuncius. II.

VERITAS olim filia, ſiue hæres effingebatur temporis, quo nihil eſt neq; potentius, neq; ſapientius: cuiq; parere ſemper ſapientis eſt habitum. interrogatus igitur cuius rei, Principi iucundiſſimus afferri poſſet nuncius: veritatis reſpondit. Nam quæ auditu ſunt iucunda, ſordent omnia ſine veritate: quæq;

ſunt honeſta, ſine veritatis neruis, & viribus flacceſcunt omnia. itaq; nec ars, nec ſcientia quicquam perhorreſcit magis, quàm non obſequi veritati. Hac igitur, vt docet Iſocrates, ſic debet oblectari Princeps, vt cuncti intelligant, iniurato Principi potius, quàm priuatis ſimul omnibus iuratis, fidem eſſe adhibendam.

QVOD RES INSIDIOSA SIT veritati opinio. III.

QVOD arte fieri debet, id inani opinione tentandum non eſt. Interrogatus itaq; quid ſuo maximè noceret auctori: ea reſpondit, quæ non ex veritate, ſed ex caduca, & fallaci opinione ſumitur deliberatio. Loquitur id Ixionis fabula. vt enim hic pro Iunone, quàm perditè amabat, nubi ſe commiſcuit, & ex ea Centauros genuit: ſic mendacium imaginem induens veritatis, monſtra ſæpè parit horrenda, & nunquàm ferè auctori ſuo non ignominioſa.

QVOD RES SIT GLORIOSA: Rara tamen veritas. IV.

TOTA vrbs, hac eius voce ſæpe percrebruit, paucorum eſſe veritatem aſpicere: multorum deſpicere. altero ignaros: altero momordit improbos: vtroq; difficultatem culpauit veritatis. Hæc autem quantæ difficultatis ſit, ex hoc vno fas eſt intelligere: quòd Heraclitus Aram veritatis, in Antro: Democritus, in puteo latitare affirmat. Nam ex eo intelligimus, hominum mentem non ante ad veritatem penetrare, quàm ad intimas, & obſcuri-

obſcuriſſimas rerum cauſas ſit immerſa: pluraq; videat, quàm Sol ipſe oculus mundi, vnquàm viderit. Duce igitur veritate, non ſolum tollitur errorum infamia: ſed etiam creſcit virtutum omnium cohors, cum gloria.

QVOD PRINCIPIS SIT NON Veriſimilia: ſed vera ſequi. V.

QVONIAM quæque virtus, in Principe efflorescit ingenij laudibus, inquiebat non eſſe Principis veriſimilia: ſed vera ſequi. Etenim neq; prudentiæ aſtutia: neq; fortitudini audacia quicquam eſt ſimilius, & tamen nihil eſt ijs magis renitens, & controuerſum. Quare omnes doctrinæ alumni, de veritate in circulis degladiantur. Nam vireſcit argumentorum vulnere veritas, eluceſcitq; diſceptationum ventis agitata. Hanc tueri proprium eſt Principis. Etenim non magis fides, ſine veritate: quàm ſocietas humani generis, ſine fide, poteſt conſiſtere.

QVOD IMPERIVM CEDAT VERItati: non Imperio veritas. VI.

CVM ad dignitatem cuiuſdam, qui promoueri ardebat deſiderio, eblandita eſſent, non enucleata ſuffragia: dixit Candidatum perbellè egiſſe cum Collegio: peſſimè verò collegium cum Principe: quoniam minimè ſit Principis, fidem fallere. monuit idipſum aliquando Macedonum Rex Alexander. Nam cùm Parmenio quippiam ſuadet Alexandro, quod præter fidem ac decorum eſſet, inculcaretq; ſæpius facerem ſi eſſem Alexander: & ego reſpondit Rex, ſi eſſem Parmenio. Nulla

vtilitas Principi: nulla potentia: nulla victoria tanti eſſe debet, quæ cum fide, & veritate æquari, aut conferri poteſt. fidei enim, & iuſiurandi ſponſores vocantur ſuperi.

QVOD AVT METVS, AVT PERICVLI gratia, quæ data eſt fides, non ſit deſerenda. XII.

ETSI ad optatos exitus, res non prouehitur: illam tamen dicebat nec vi, nec metu extra fidei cancellos debere detrudi. Non minus præclarum, quàm vetus eſt, apud Romanos M. Attilij teſtimonium. Hic enim ex ſeruata fide, tantam conſecutus eſt gloriam: quanta ei vix exæquari poteſt vllus victoriæ triumphus. Nam datam hoſti fidem maluit, quàm ſibi vitam incolumen ſeruare inuiolatã. Quanquam tamen pro comperto habebat, quantus ſibi ad næcem, futurus erat cruciatus.

QVOD RES SIT PERFIDA ambitio. XIII.

QVAMQVAM perfidum execrantur, eiq; malè precantur omnes: dicebat tamen, in nemine fidem magis deſiderari, quàm in eo qui fertur duciturq; inanis gloriæ aura. Nam quid à fide magis alienum eſſe poteſt: quàm propter ambitionem à ſeipſo deficere, nec ſtare naturæ promiſſis? Sceleratum eſt in ambitione perfidiæ: vtile tamen exemplum. Non enim ſolum Gener Tarquinius ſuperbus Soceri: ſed etiam eius vxor Tullia patris ſanguine iura cruentauit naturæ. Nam ille à Genero Tarquinio: eſt per inſidias occiſus: illa in patris iacentis cadauer, ſeleratè Carpentum egit, vt virum ſuum Regem ſalutaret.

cx

ex quo intelligimus, quàm minimè tuta ſit ambitioſis fides: quando ex ſanguine etiam domeſtico ipſa exulet.

QVOD FRAVDVLENTA FIDES, *non ſit fides.* IX.

CONSPERSA quaſi verborum, ſententiarũq; floribus cùm ſint tanti Principis dicta: tum hoc vnum, non minimum habet ornamenti: ſalis plurimum. Inquiebat fidem, non fuco, vt res cæteras, commendari: ſed ſtatim reſtingui, & deleri. itaq; vt refert M. Cic. ab ijs cauendum eſt, qui cùm maximè fallunt, id agunt, vt boni viri videantur. Plena ſunt noſtrorum temporum exempla: ſed priſcorum memoriam malo refricare. Thraces, vt Ephorus ſcribit, cum Boetijs inducias certo dierum numero pepigerant: noctu, cùm illi in tuto ſe eſſe exiſtimarent, agros eorum populabantur. At cùm illi violatam fidem conquererentur: negarunt ſe perperam egiſſe, cùm induciæ dierum pactæ eſſent, non autem noctium. Sed non agit ex fide: qui agit ex fide fucata.

QVOD RES SIT SVSPECTA *hominum fides.* X.

QVAMQVAM in fide domus eſt virtutis, & domicilium gloriæ, interroganti tamen quæ fides, in rebus magnis, & periculi plenis, amicis eſſet habenda, dubia reſpondit. Nam fides neminem adeò fallit, quam eum, qui ſibi plurimum tribuit. Alcibiades igitur iudicium patriæ refugiens, interroganti cuidam an non fideret intimorum iudicio: ego reſpondit, ne matri quidem haberem fidem. vereret enim ne iniciens pro albo

calculo, nigrum immitteret. Nec multum ad rem facit hominum iuramentum. Nam probis iniuratis habenda eſt fides: improbis ne iuratis quidem.

QVOD IN IVDICIO MENDACIVM veritati cedat, non veritas Mendacio. XI.

NVDAM inquiebat eſſe ab omnibus præſidijs, in foro accuſationem, ſine veritate: Leue, & nugatorium patrocinium, quod reclamare, non parere videtur veritati. Non enim ſuccumbit in iudicio veritas mendacio: ſed mendacium veritati. celebris & peruagata eſt, de ea re fabula. Nam quorſum Dædalicus ille Labyrinthus, in quo Minotaurus à Theſeo occiſus eſt? Non plures ſunt eius labyrinthi, quàm mendacij anfractus, ex quibus egreſſum ſola nouit inuenire veritas. Ab ea non Minotaurus: ſed Rabula tanquàm à Theſeo ſuperatur: ac veluti quoddam naturæ monſtrum, plurimis in iure, plagis laceratum dirimitur mendacium.

QVOD VERITAS NON ALIA, alijs ſit temporibus. XII.

QVIA, puto, veritas finem, & modum neſcit tranſire æquitatis, ſolitus eſt dicere veritatem, neq; proſpero rerum flatu trahi: neq; earum ventis reflantibus retrahi: ſed eundem ſemper curſum tenere boni, & æqui: nec alio loco, aliam eſſe. id apud veteres bellè notatur per fabulam Arethuſæ. Nam quorſum quòd Alpheus Nympham eam, vt volunt Poetæ, ſic amauit, vt etiam in fontem commutatam, aduerſus æſtus maritimos tu-

tò ſit ſecutus? res eſt plena ingenij: doctrinæ minimè inanis. eſt enim veritas æquitatis non-ſolum miniſtra, ſed etiam pediſſequa, faciliuſq; mori poteſt, quàm ab ea reuelli. Alpheus quippè fluuius, mare ſubterraneo curſu traijcit, ne vndas ſuas cum marinis miſceat. Sic purus, Synceruſq; iuxta Syraguſas vberrimo aquarum gurgite, cum Arethuſa fonte emergit. Hoc argumentum dedit fabulæ: ex qua intelligimus veritatem non turbari ex rerum procellis: eamq; obſcuro aliquo mendacio poſſe occuli: pollui, & contaminari minimè poſſe.

QVOD VIRTVTES OMNES IN veritatis Cancellis teneatur incluſæ. XIII.

INTERROGANTI cuidam, quibus ſcientiarum clauſtris, vniuerſa Europæ Gymnaſia tenerentur incluſa: veritatis reſpondit. Nulla enim virtus eſt, neq; in cognitione: neq; in actione: nec deniq, in hominum ore, & ſermone, quæ veritate poteſt vacare. Nam cum natus ſit homo potiſſimum ad agendum, & intelligendum: hominis vita omnis, & induſtria in inquiſitione, & inueſtigatione veri videtur eſſe poſita. Quare quemadmodum Nilus fluuiorum omnium, in Ægypto Rex, & Imperator, imbrium loco terram reddit fæcundam: ita qui Reip. campus inundatus eſt veritatis fluctibus, feraciſſimus redditur virtutum omnium. Etenim ſola veritas mentem ſcientia: voluntatem virtute, ac deniq; orationem ſynceritate poteſt cumulare, & ornare.

QVOD SINE LVCE VERITATIS intermoriantur artes omnes, & ſcientiæ. XIV.

QVEMADMODVM inquiebat, quæ viuunt in terris, omnia ex ſole viuendi vim habent: ita ex veritate, artes: ſcientiæ: actioneſq; omnes non ſolum ſui primordia, ſed etiam gloriæ ſuæ ornamenta trahunt. Nec alia de cauſa, puto, veritas à Poetis cenſetur eſſe temporis filia, & Muſarum parens. Eſt enim non ſolum virtutum procreatrix, ſed etiam gloriæ eius, qua ducuntur omnes, alumna. Si igitur par eſt rationi, vt quæ virtus plus poteſt, alijs imperet, omnium imperatrix oportet ſit veritas. Siquidem in difficultate robur virium cedit orationi: oratio menti: mens autem veritati.

QVOD RES SIT INVENTV difficilis veritas. XV.

SCISCITANTI cuidam, quid inuentu eſſet difficile: veritas reſpondit, cuius ars tantum eſt inueſtigatrix, ſemita prudentia, lampas vero ſcientia. Itaq; à Græcis Dea eſt conſtituta, atq; ἀλήθεια vocata: cuius hæc, vt Philoſtratus in Amphiarao ſcribit, ſpectabatur imago. Mulier niueis induta veſtibus, quæ virtutis eſſet mater, filiaq; temporis, cuius ara in imo latebat putei. Dea autem iccirco, puto, ab illis conſtituitur, vt docerent orbem terrarum veritatis non eſſe domicilium: ſed cœlum: illamq; ab errantibus mortalibus exulare: atq; in ſinu, & gremiò tantum bonorum habitare.

QVOD

QVOD SVADENDI VIS SVMMA ſit in veritate. XVI.

MVLTA opinionis errore ſibi fingere ſolent, qui ad ſuadendum, colorem, non admittunt, ſine fuco orationis. conſueuit igitur dicere optimam, artem ſuadendi, & magiſtram eſſe non Rhetoricam, ſed veritatem. Hæc enim, quia nullo negotio fidem facit, ab antiquis Mercurij coniunx eſt habita, eamq; Ægyptij in Mercurij Sacrificijs, melle, & ficu honeſtabant, exclamantes γλυκὺ ἡ ἀλήθεια· hoc eſt dulcis veritas. Mel enim liquorum: ficus fructuum omnium ex amariſſima planta, eſt ſuauiſſimus. Mel quippè non ſolum nutrimenti vim habet, ſed etiam medicinæ: nec prodeſt modo viuis, ſed etiã mortuis, quia ſuo liquore delibuta, incorrupta ſeruat cadauera: atq; vt ficus ſine flore fructum: ita veritas fidem, ſine apparatu facit verborum.

QVOD HVMANÆ CONIVNCTIONIS nodus vna ſit veritas. XVII.

CVM de fœdere humanæ coniunctionis fortè ageretur: interrogantibus quibuſdam quod arctiſſimum eſſet humani generis vinculum, veritas reſpondit. Nam ſi neq; fides ſine veritate: neq; ſine fide ſocietas humani generis ſtare poteſt, quid eſt in humana ſocietate, dixit, quod veritati non debeatur acceptum referre? ita quippè vniuerſæ Reip. virtutes, cum veritate tenentur connexæ, vt nulla ante vulnerari poſsit, quàm non eius cruenter vulnere veritas. In omni igitur rerum adminiſtratione, ſumma hæc eſt, vt veritas, quemadmodum trito fertur ſermone prouerbio, prora ſit, & puppis. Nihil enim eſt extra veritatem, quòd non veluti quodam æſtu abſorbeatur naufragij.

QVOD

QVOD VERITAS AD PRINCIPEM maximè pertineat. XVIII.

NEC fabulæ, nec Apologi mentiuntur. Aliud enim eſt artificio: aliud mendacio vti. Nam ſi neq; ars poteſt errare: neq; mendacium conſiſtere ſine errore, nemo Poeſim artem vocat, qui fabulas, & Apologos cum Poeſi non vendicet ab omni ſuſpicione mendacij. Nec Plato ille diuinus aliam ob rem, ſuos libros referſit fabulis, niſi quia fabulæ non ad reſtinguendam, ſed ad illuminandam veritatem, pertinent. At cùm illæ tribuantur Poetis: Phyſicis medicina: Patronis iuriſprudentia, cuidam quærenti, quænam virtus potiſſimum tribueretur Principi, veritas reſpondit. Eius enim cùm ſit in omnium rerum conflictu, & controuerſia de veritate iudicare: id nunquàm præſtabit, niſi veritatis ſenſus omnes ſic teneat, vt iugulata apud alios veritas, poſſit ex oris eius ſpiritu reuiuiſcere, atq; depreſſa caput attollere. Quemadmodum igitur cognoſcitur auis ex cantu: ita eſt Principis vnumquenq; inter mortales, ex ſua voce cognoſcere.

QVOD VERITAS ÆQVE MENTE, atq; oratione loquentis, ſit depaſcenda. XIX.

QVONIAM falſitas, nec in ſimulationis, nec in diſſimulationis artificio diu ſcit latere: ſed ſtatim ipſo veritatis ſplendore, fallaciarum eluceſcunt tenebræ: inquibus nihil neq; veritati magis eſſe conſentaneú: neq; mendacio quicquam eſſe renitentius, quàm vt menti par eſſet oratio. Nam ſi mentiri eſt contra mentem loqui, non po

teſt

teſt is non iniuriam inferre veritati, qui etſi verum quod eſt dicit, id tamen minimè credit. Elegans & euidens eſt veritatis in Hieroglyphicis ratio: tacita, non contumelioſa mendacij accuſatio. Nam cur Ægyptiorum Sacerdotes, Hieroglyphicum veritatis fecerunt pomum perſicum, vna cum folio adhærente? in hoc Symbolo veritatis, non ſolum adiumenta ſunt ingenij, & recunditæ doctrinæ, ſed etiam ornamenta dignitatis. Nam cùm Pomum illud veluti quoddam ſpecimen habeat humani cordis: foliumq́; eius linguæ formam præ ſe ferat: hanc videtur vtriuſq; coniunctio veritatis legem ſancire mortalibus, vt non aliud in ore prumptum, aliud in pectore clauſum habeatur, quorum in vtroq; ſuccus, & ſanguis reſidet veritatis.

QVOD NON DEBEAT ESSE venalis: ſed gratuita veritas. XX.

SOLITVS eſt in foro Doctores, auri, non veri cupidos, Battos nõ ſuo, ſed alieno nomine vocare. Nam qui aurum in cauſis, non fidem ſequuntur: ij, ſicuti in fabulis Battus, non ſunt iudices veri: ſed indices auri. Nota eſt Lydij lapidis fabula. Niuea eſt veritas: non inaurata. auro enim non inueſtigatur, ſed conſtupratur veritatis integritas. Teſtis eſt, Apud Poetas, Danae Nympha, quæ auri cupida, à Ioue in aurei imbris effigiem verſo, eſt compreſſa. Nihil eſt, ne longè abeam, in publica rerum adminiſtratione, laudabilius veritate. Nam quantum veritas vnum quodq; vel reſpuit, vel admittit: tantum id omne, aut renitens eſt, aut adhærens virtuti: qua terminatur rerum omnis doctrina, & morum ſimul probitas.

DE CLEMENTIA TITVLVS XIV.

MANSVETVDINEM qui violat, non tam procul videtur ab hominis natura recedere: quàm propè ad immaniſſimæ beſtiæ feritatem accedere. atqui etſi nihil eſt humanitas ſine miſericordia, niſi feritas quædam vocata humanitatis nomine, difficile tamen eſt ſimul miſereri, & ſapere. Siquidem neſcit, aiunt, neq; iuſtitia peccati impunitatem: neq; miſericordia ſupplicij cruciatum pati. At longè alia eſt rationis auctoritas. Nam & iuſtitia miſericordiæ, & Miſericordia iuſtitiæ expers, non ſolum deſerit, ſed etiam amittit nomen virtutis. Solet igitur ille Principis eius laudare clementiam, qui cùm improbis parcit, non officit viris bonis: nec eius iuſtitiam improbare, qui malit, ex improbis bonos viros, commiſerando reddere: quam ipſos improbos puniendo, perdere. Hac vna virtute potiſſimũ ALEXANDER Ruidius ſummis laudibus in cęlum effert Card. P. ALDOBRANDINVM, nec quidem ſine conſilio. Nam quemadmodum, qui aliqua crudelitatis macula eſt contaminatus, plurimis maledictis laceratur inter mortales: ita haud cuiuſquàm Principis in imperio, clarior eluceſcit gloria, quam eius cuius pietate, & beneficentia, ſceleratorum nefaria flagitia, non ferro & flamma, ſunt reſtincta, & deleta. Vt enim Ilij incendium, non eſt victoriæ vexillum: ſed flagitij dedecus, & ſupplicium: ita ſceleratorum medicina in Principe, non ſceleris habet infamiam: ſed Principis gloriam. Ex hac autem virtute ad ſplendorem tanti Principis, accedit etiam ſummi Senatoris RVIDII auctoritas,

qui

qui ornamentum eſt ſui ordinis, eximium patriæ decus, atq; exemplar veræ germanæq́, iuſtitiæ, & pietatis. In eo quippè dum iuris, & iuſtitiæ fuit aduocatus, tanta ſemper fuit auctoritatis acies, tot virtutum ornamenta, tam ſingularis dignitas, vt eum omnes, non vt curię aduocatum, ſed vt iuſtitiæ, & æquitatis propugnatorem acerrimum ſuſpexerint: nunc demum, non vt Senatorem aliquem, ſed vt ornamentum, ac ſummum præſidium Senatorij ordinis colant, & obſeruent. In quo, etſi non parum ſummæ eius virtuti: plurimum tamen eius ſanguini, & generi tribuo. Teſtis eſt, ne altè repetam, CÆSAR Ruidius frater, qui vix adulta adhuc ætate tanta virtute floruit, vt in eo, ſi fas eſt, quod ſentio, vel potius, quod omnes loquuntur, dicere, videretur eloquentia Demoſthenis: Platonis ingenium: Ariſtotelis doctrina, ac deniq; ars omnis vno ſocietatis vinculo teneri incluſa. Itaq; à Rege Catholico, in Ticinenſi Gymnaſio, ad ſummum honoris gradum, in Philoſophiæ penetralibus interpretandis euectus, ita ſe geſſit, vt Regiæ dignitati, in eo munere, gloriæ plus attulerit, quàm ex ea dignitate acceperit. Nam ſi à Grecis vniuerſis Pythagoras Samius, in cœlum, effertur laudibus, quod ex Ægypto artes liberales in Græciam aduexit: quibus gloriæ inſignibus dignus eſt CÆSAR Ruidius, qui non artes, non Philoſophiam, ſed artium, & philoſophiæ magiſtros, non ex Ægypto, ſed recundita, & admirabili diſciplina, quaſi traxit de cœlo? Multi fuerunt in vno Ruidio Pythagoræ. Nam quid fecit apud Græcos Pythagoras, quod nō multi fecerunt illius diſciplinæ alumni? Dum adfuit RVIDIVS, ſuus fuit Ticinenſi Gymnaſio Pythagoras, qui vt Ægyptius rerum diuinarum habuit cognitionem: qui vt Chaldeus, Syderum tenuit Curſus: qui vt Græcus, aut potius, vt alter Galenus, artem Medicinæ multis ſcientiarum dotibus locupletauit. Multum Antiquitas

tiquitas debet Pythagoræ: plurimũ hæc noſtra ætas RVIDIO. Nam ille rudimenta ſolum reperit Philoſophiæ, hic ſumma inuenit doctrinæ eius faſtigia: inuentaq; illuſtrauit, & illuſtrata, publicè palamq; non ſine plurimo auditorum fauſtu docuit. quod ſi igitur gloriatur Græcia ſuo Socrate, quia omnium primus eam Philoſophiæ partem, quæ in morum eſt probitate, peperit: Cur ſuo Italia, non glorietur Ruidio, qui in omni genere Philoſophiæ, aut noua inuenit, aut inuenta ab alijs, auxit, vel deniq; aucta meliora fecit? Socrates emendabat Græciam: Socratem Ruidius. frater autem eius ALEXANDER quod Baldus: quod Decius: quod deniq; Summi ſapientiæ antiſtites, memoriæ prodiderunt, id omne mente, & animo deuorauit. Quare is, virtutis, & gloriæ dignitatem, qua Cardinalis ALDOBRANDINVS vulgo celebratur, facile ſuo auget teſtimonio, & auctoritate. Quæ autem, in hoc virtutis genere, carptim collegi, ex ſummo eo Religionis Antiſtite, Apophthegmata, eorum veluti quædam notæ hæ ſunt.

1 *Quòd clementia virtus ſit regia.*

2 *Quòd belli ius, Principis clementia, erga Principem ſit depaſcenda.*

3 *Quòd Belli ingreſſus ater, & acerbus: clemens laudetur exitus.*

4 *Quòd glorioſius delicta à Principe curentur venia, quàm pœna.*

5 *Quòd clementia, veluti quidam cibus ſit regiæ gloriæ.*

6 *Quòd pugnæ audacia: victoriæ ornamentum ſit clementia.*

7 *Quòd Manſuetudinis nomen, Principi ſit glorioſum: res verò neceſſaria.*

8 *Quòd clementia declarationem habet ſapientiæ.*

9 *Quòd manſuetus Princeps maiora præſtet tolerando: quàm renitendo.*

Quòd

10 *Quòd in clementiæ ambitu, incolumnitas clauſa ſit Imperij.*
11 *Quòd Principi, res ſit non tam deteſtabilis crudelitas: quàm glorioſa manſuetudo.*
12 *Quòd poſt Religionem maximè laudetur, in Principe clementia.*
13 *Quòd ex aliena culpa, efflореſcat Principis clementia.*
14 *Quòd non ſit ad culpæ ſupplicium properandum.*
15 *Quòd Hoſtis vincendus, ac vinciendus ſit clementia.*
16 *Quòd nemini magis, quàm improbo debeatur venia.*
17 *Quòd iuris alumna, & iuſtitiæ ſocia ſit clementia*
18 *Quòd clementia, licet faueat turpibus, impatiens ſit turpitudinis.*
19 *Quòd in clementiæ tutela, ars reſideat imperandi.*
20 *Quòd errantibus Aſylum ſit Principis miſericordia.*
21 *Quòd ad clementiam, duo faciant iræ remedia.*
22 *Quòd vir manſuetus aduerſus omnes offenſiones, ſit armatus.*
23 *Quòd abiectis, & ſupplicibus ſpes non ſit fallenda.*
24 *Quòd clementiæ Principis, popularis gratia ſit ſocia.*

QVOD CLEMENTIA VIRTVS *ſit Regia.* I.

SOLITVS eſt dicere clementem principem, non ſolum non lædere, ſed ne lædi quidem poſſe. Nam ſi iniuria non fit niſi inuito: mitis, & manſuetus ferendo, crimen tollit iniuriæ. Nihil igitur aliud eſt Miſericordia, quàm diuina quædam erga miſerabiles, miſeriarum medicina: quæ virtus ſingularis eſt Principis, & propria. Teſtis eſt natura, per Apum Regem: qui ſolus inter omnes apes, caret aculeo: quaſi Regis ſit non ſæuitia, ſed commiſeratione vti. Itaq; Iulius Cæſar tantum ſtuduit cæte-

ros Principes manſuetudine anteire: quantum illis ſemper conatus eſt gloria antecellere. omnibus igitur ignouit, poſt Pharſalicam victoriam, qui ante à ſe defecerant. Summi enim in vna Principis clementia, reſident gloriæ acerui. Nam aliæ virtutes Principi, cum multis ſunt communes: clementia ſola eſt Principis.

QVOD BELLI IVS, PRINCIPIS clementia, erga Principem ſit depaſcendum. II.

IN exiguum gyrum orationis, res grauis de manſuetudine cùm eſſet compulſa: atq; interrogaret neſcio quis, num fas eſſet, in armis Principem interimi à Principe. imò interemptores reſpondit, tanquam nefarios ſicarios debet vlciſci. itaq; Iulius Cæſar, victo Ptolemæo, & ad mortem compulſo: Achillam, & Phocinum Pompei Magni trucidatores iugulauit. Princeps enim erga Principes, ſic affici debet, vt nullus ſit miſer, qui ei non videatur miſerabilis, hoc eſt commiſeratione dignus. in quo vno tantum reſidet gloriæ, vt longe regium magis ſit, hoſtem benignitate vincere, quàm armis ſuperare.

QVOD BELLI INGRESSVS ACER & acerbus: clemens laudetur exitus. III.

IEIVNI, & inanes ſermones, ab eo ſemper cùm procul abſint, grauesq; & pleni virtutis tantum audiantur: interrogatus aliquando, quæ commiſeratio maximè aduerſus hoſtem laudaretur, in principe: quæ reſpondit, in truci bello eſt cum iuſtitia: ſine indulgentia,

gentia, & crudelitate. indulgere enim eſt fatui: in ſuperatos ſæuire beſtiæ: ſola autem miſericordia virtus eſt Principis, ſimul & Dei communis. Itaq; Alexander Magnus, ſicuti in primo belli ingreſſu erat terribilis: ſic parta victoria exſtitit ſemper clementiſſimus. Quare cum vidiſſet Darium à proprijs famulis interemptum, grauiter ingemuit, & Beſſum illius percuſſorem crudeli ſupplicio affecit. Darij quoq; corpus dempta ſibi regia chlamyde, qua tunc indutus erat, ornauit, & ad illius matrem perferri iuſſit.

QVOD GLORIOSIVS DELICTA à Principe curentur venia, quàm pœna. IV.

QVI Princeps non ducitur clementiæ gloria: veræ laudis guſtum non habet. Quare id eius percrebruit ſermone. Principis eſſe aliena malè facta, non malè factis compenſare: ſed beneficijs corrigere. Iſocrates igitur Regi præcepit, vt delicta non culpæ magnitudine: ſed clementia metiretur. Boni enim eſt medici oleum potius adhibere, quàm ferrum. Iure igitur laudatur C. Cæſar, qui ne in prauos animaduerteret, gloriabatur nullius rei ſe magis obliuiſci, quàm iniuriarum. Non minus quippè turpia ſunt Principi multa ſupplicia: quàm Medico plurima funera.

O QVOD

QVOD CLEMENTIA VELVTI quidam cibus ſit Regiæ gloriæ. V.

CVM penes Principem ſit & vitæ, & necis alienæ poteſtas: aſſeuerauit aliquando inter eos, qui de Principe, & eius ingenij ornamentis diſſerebant, Principis gloriam nullo virtutis magis, quàm clementiæ pabulo eſſe depaſcendam. Hoc ipſum opinor, vt poſteritati teſtatum relinquerent Ægyptiorum Sacerdotes, Leonem Hieroglyphicũ fecerunt Principis. Rex enim cùm ſit ferarum beſtiarum: proſtratis parcit: in robuſtos viros ſæpe: raro in fœminas: nunquam in pueros ſæuitia exardeſcit, & crudelitate. quo naturæ teſtimonio admoueri videntur Principes, ſua olim gloriæ inſignia ab antiquiſſimis populis ex clementia, & manſuetudine fuiſſe petita. Nam quò quis propria ope magis deſtituitur: hoc dignior videtur eſſe commiſeratione.

QVOD PVGNÆ AVDACIA: victoriæ ornamentum ſit clementia. VI.

QVONIAM vt digladiando miles, ita vir doctus interdum diſſerendo gloriæ lumen quærit, non veritatis: vis diſſerendi apud eum, veri pigmentis fucata, parum valet ad fidem: plurimum ad ſuſpicionem faciendam. Quodam igitur ſupra modum Xerxem Regem Perſarum laudante, quòd æquæ ad mortem, ac cædem in bello eſſet expoſitus, nec vllo loco, victis etiam hoſtibus, quieſceret. Dixit æque probari Imperatoris clementiam erga hoſtes victos, atq; contra pugnantes audaciam, & magnanimitatem. Quare vnicè laudatur Annibal. Nam

eius inſidijs cùm perijſſet Marcellus, ei mortuo Pœnus anulum quaſi virtutis præmium è digito detraxit, eiuſq; cadauer ſplendide, ac magnificè cremari iuſſit, & reliquias, ac cineres Romam ad neceſſarios eius perferri.

QVOD MANSVETVDINIS NOMEN Principi ſit glorioſum: res verò neceſſaria. VII.

NISI ex ſua manſuetudine Princeps capiat tranquillitatis plus, quàm ex alienis delictis ſtomachi: res in arte imperandi, iam non eſt inclinata, ſed funditus euerſa. Manſuetudinem itaq; dicebat iure, ab aſſueſcendo eſſe dictam, quod ad ferenda Imperij incommoda, nemo, niſi qui manſuetus ſit videatur aſſueſcere. Hanc igitur Alexander Magnus tanta coluit obſeruantia, vt iram vincere glorioſius duceret, quam hoſtem ſuperare, eò quòd illud ſemper ſit virtutis: hoc ſæpè fortunæ. Itaq; vbi ex victoria ditiores facti milites inſoleſcerent: Alexandrumq; interdum maledictis lacerarent: id tamen cùm reſciret Alexander, eorum petulantiam modeſtè, placideq; ferebat, aſſeuerans regium eſſe, apud eos potiſſimùm malè audire, apud quos nō ceſſaret beneficium ponere.

QVOD CLEMENTIA DECLARATIOnem habeat ſapientiæ. VIII.

CLEMENTIS nomen eſt glorioſum: res admirabilis. Nam ſi Clemens, vt Varroni placet, dicitur, quaſi clara mens, nec quicquàm eſt claritas mentis, niſi ipſa ſapientia, qui iure optimo poteſt, aut dici, aut haberi clemens, niſi ſapiens? omittit hoc loco,

quod mihi eſſet dicendum de CLEMENTE VIII. Nam vicit cęleſti, ac diuino ſuo numine mortalium omnium cogitationes. Hac vna illius virtutis luce ſapientiſſimus ille Antiſtes Colluſtratus, interrogantibus quis eſſet Clemens, nemo reſpondit, niſi qui omni fulgeat virtutum ſplendore. quæ omnis ſita eſt in honeſti memoria, & inhoneſti obliuione. Teſtis eſt Imperatoriæ, ac Regiæ virtutis decus C. Cæſar, qui virtutes omnes tenaciter memoria tenebat: iniuriarum tantum quamprimum obliuiſcebatur. facile enim eorum nos capit obliuio, quæ contemnimus: nec ea punimus, quæ non curamus. Magnanimus autem, nec curat, & contemnit, quæ ſine cauſa fieri putat. iniuriam igitur pro nihilo ducit: auctoreſq; iniuriæ pariter parui pendit.

QVOD MANSVETVS PRINCEPS maiora præſtet tolerando, quàm renitendo. IX.

EXILE, aridum, conciſum, & minutum eſt in iracundis imperandi artificium: licet illi polleant ingenio, nec deſtituantur viribus. Itaq; interrogatus qua arte, imperium ex ſuis recrearetur incommodis: manſuetudine dixit imperantis. Nec grauis minus hæc illius eſt ſententia: quàm ſalutare Fabij Maximi exemplum. Hic enim in tolerandis aduerſis hominum moribus, feliciſſimè populo imperauit. Aiebat autem eum, qui alijs imperaret, non verbis, aut verberibus oportere ſæuire: ſed tolerando, mulcendoq; homines in ſuam ſententiam adducere: abſurdum eſſe feras beſtias à nobis cibo, & blanditijs Cicures reddi: homines verò metu, & aſperitate morum, ad noſtri amorem cogi.

QVOD IN CLEMENTIÆ AMBITV, Incolumitas clauſa ſit Imperij. X.

QVI in Imperio, à clementia deflectit: non deflectere, ſed cadere ab eminentiſſimo dignitatis gradu videtur. Dicebat igitur manſuetum à manu eò eſſe dictum, quòd Principis ſit manſueti, pro rebus vniuerſis, manus in Cœlum tollere, id eſt, omni geſtire felicitate. Etenim aliud eſt, ſe præſtare ſeuerum: aliud ſæuum. eò, quòd illud adumbrationem habet iuſtitiæ: hoc notā crudelitatis, qua nihil eſt in Principe deteſtabilius: vtriuſq; tamen ſcopulus, vna cauetur manſuetudine, vel etiam quiddam grandius. Nam improbus peccat contra legē: inofficioſus contra merita: ſæuus cōtra Deum, pietatē, & humanitatē. Quare qui manſuetudine deſtituitur: truculentus habetur, & immanis, cuius quàm deteſtabile, in Principe ſit crimen, teſtes ſunt Senatores Romani, qui Romulū, cū ſæuior eſſet, & atrocior, diſcerpſerunt: ne ex rege fieret Tyrannus. Nam quem ſeuerum vix: Sæuum ne vix quidem vnquàm potuiſſent pati.

QVOD PRINCIPI RES SIT NON tam deteſtabilis crudelitas, quàm glorioſa Manſuetudo. XI.

QVANTA labes, crudelitati inuritur infamiæ: tantum, ad manſuetudinem accedit gloriæ. illam igitur non adeò vt deteſtaretur: quàm vt hanc commendaret, multa plurimo ſale aſperſa effudit. Atq; in primis ſolitus eſt dicere, hominem crudelem, naturam exuere hominis: induere beſtiæ: ſi tamen vlla beſtia, tantam ſtragem humano generi, poteſt infligere: quan-

ta inſertur ab homine crudeli. L. Sylla Romanorũ omnium crudeliſſimus, hoſtium capita licitabatur, maximis propoſitis præmijs, illis qui proſcriptos interemiſſent: & ſupplicijs, his, qui occultaſſent. itaq; L. Syllam Dionyſius Halicarnaſſeus ſcribit, quadraginta millia Romanorum ciuium voluntario iudicio peremiſſe, præter illos, qui eo Duce, in prælijs ceciderant.

QVOD POST RELIGIONEM, maximè laudetur clementia in Principe. XII.

DE virtute Principis, alia opinionis vis eſt: alia iudicij: alia vox ſapientis: alia imperitæ multitudinis: nec idem eſt ſenſus rationis, & aurium. Hic enim ſæpe falſitati: ille ſemper auſcultat veritati. Solitus autem eſt dicere, Principem duplici potiſſimum commendari virtute: religione erga Deum immortalem: & commiſeratione erga calamitatem mortalium. Idq; iure optimo. Athenienſes igitur Miſericordiam, non vt animi affectum: ſed tanquam Deam coluerunt, vt intelligerent, opinor, Principes, ſe diuina etiam præſtare, cùm miſericordes eſſent.

QVOD EX ALIENA CVLPA EFFLOreſcat Principis Clementia. XIII.

QVONIAM qui clementiam deſerit, non adeo videtur officium deſerere boni viri, quàm vulnerare: conſueuit dicere, ſatius eſſe nocentem abſoluere: quàm inſontem condẽnare. Atq; cùm notaretur aliquando quòd improbum periculo liberaſſet, non faui, dixit, impro-

improbitati, ſed homini: qui niſi eſſet improbus, nullus relinqueretur, apud eum clementiæ, in quo conſiſteret locus. Aliena enim culpa Clementię, in Principe ſeges eſt, & materia.

QVOD NON SIT AD CVLPÆ ſupplicium properandum. XIV.

QVIDAM patronus, qui norat humilia ſubtiliter: magna grauiter: mediocria temperatè tractare, ne habetior in iure aduerſus improbos haberetur, inſtabat coram iudice, vt ſtatim de ſcelerato homine, qui in vincula erat coniectus, ſupplicium ſumeretur. At ſummus ille virtutum Antiſtes, neq; Medicus, dixit, ſi Lippitudinem non poteſt tollere, tollit oculum: neq; bonus iudex, vbi ſcelus nequit auferre, debet ſtatim ſceleratum perdere.

QVOD HOSTIS VINCENDVS, AC vinciendus ſit clementia. XV.

CVM ob ſingularem ſapientiam, in nulla re hoſpes ſit, & peregrinus, interrogatus aliquando à ſtrenuiſſimo milite, quomodo hoſtis eſſet vincendus: ſi fieri poteſt, dixit, clementia: ſin minus ferro. Hoc ipſum cùm ſentiret C. Cæſar, dicere eſt ſolitus ſibi idem eſſe conſilium aduerſus hoſtem: quod pleriſq; medicis, contra morbi acerbitatem. Nam Medici non, niſi tentatis omnibus, ad ſectionem deſcendunt.

QVOD NEMINI MAGIS, QVAM improbo debeatur venia. XVI.

IN grauitate delicti, ſi minus hominis, at humanitatis ratio eſt habenda. Quare cùm de impiorum pœna infligenda, ſermo haberetur: interrogantibus amicis, cuinam eſſet parcendum, Improbo dixit, ne afflicto addatur afflictio. Nam, vt vetus eſt Pythagoræ ſententia, mali plus patitur improbus, ex animi conſcientia, quam ex vllo corporis cruciatu. Quare, vt vetus eſt, ad hæc vſquè noſtra tempora, Socratis opinio: nunquam ſperare debes te lætaturum, ſi quid mali feceris.

QVOD IVRIS ALVMNA, ET Iuſtitiæ ſocia ſit clementia. XVII.

MILITE quodam aliquando inimicum, ad certamen laceſcente, dixit eos, qui ad arbitrium nutumq; ſe effingunt ſacroſancti iuris, & iuſtitiæ, nihil minus in offenſione, quàm de vindicta cogitare. eluceſcit ratio, ex veteri mortalium conſuetudine. Nam cur olim ex ferro, & ære Deorum non fiebant ſimulacra, & ſtatuæ? quoniam vt eſt videre, apud Platonem, tam grata eſt clementia Deo immortali, vt etiam ſeges, & materia, ex qua fiunt ad vindictam, bellica inſtrumenta; Deo ſint exoſa, & eius pietati controuerſa.

QVOD

QVOD CLEMENTIA LICET *faueat turpibus, impatiens tamen ſit turpitudinis.* XVIII.

QVONIAM ignorantiæ coniunx, eſt ſtupor animi: ſtuporis ſocia, linguæ debilitas, iccircò illi de clementia non ſolum praue ſentiunt, ſed etiam malè loquuntur, qui aiunt clementiam turpem videri, quia fauet turpibus. Cōſueuit igitur ille dicere, clementiam non ſolum obſidem eſſe regiæ virtutis, quia eius eſt parcere, cuius eſt punire: ſed etiam ignorantiæ inimicam, & turpitudinis: cuius in opinione etiam fuerunt Ægyptij. Nam cur illi clementiæ Hieroglyphicum expreſſerunt, per Elephantum? vt certè clementiæ oſtenderent ſynceritatem. Nam elephas tanquam impatiens turpitudinis, ita inter animantes, ſuem ſtomachatur, vt interitum facilius, quàm eius gunnitum poſſit pati. itaq; olim Megarenſes in bello, ſues pice illinitos, & mox igne inflām̄atos in Antipatri elephantos immiſerunt: eoſq; hoc ſtratagemate, cū vniuerſo exercitu fugarunt.

QVOD IN CLEMENTIÆ TVTELA, *ars reſideat imperandi.* XIX.

CVM in vna Dei manſuetudine, ſpes omnis humanæ ſalutis eſt poſita: tum ea ſublata, Reip. adminiſtratio omnis in diſcrimem, & periculum vocatur. Quare inquiebat clementiam, non ſolum rem eſſe ſalutarem in Principe, ſed etiam ſuauem, & iucundam. Teſtis eſt iam, non hominum: ſed ipſa Dei ſchola natura. Cur enim Ros apud Ægyptios Hieroglyphicum eſt clementiæ? quia ſicuti, ex rore fit mel, quòd non ſolum, & ſanis ad

paſtum,

paſtum, & infirmis ad medicinam miniſtratur: ſed etiam mortuis ad diuturnam cadaueris conſeruationem additur: ita clementiæ præſidio vniuerſa ſeruantur bonorum genera.

QVOD ERRANTIBVS ASYLVM ſit Principis Miſericordia. XX.

MISERICORDIA apud Deum, vt ait Philo Iudæus, antiquior eſt, quàm iuſtitia; cùm antè ſceleratos toleret, quàm iudicet. Quare ſolitus eſt dicere, nihil eſſe tam æquum, quàm ad miſericordiam refugientes, non reijcere. Eſt enim Miſericordia, Dei templum, quod Athenienſes Aſylum vocarunt, ex quo nemo poterat ad vindictá extrahi: dictumq; eſt iccircò Aſylum ab à priuatiua particula, & συλάω rapio, quòd inde ad ſupplicium nemo rapi poſſet.

QVOD AD CLEMENTIAM DVO faciunt iræ remedia. XXI.

CVM incunabula clementiæ ſint, in minimè iraſcendo poſita, interroganti cuidam quæ eſſent aduerſus iram remedia, duo potiſſimum reſpondit, vnum in mora: alterum in ſilentio. Moram docuit olim Senatus Romanus, qui vt refert Plutarchus, inſtituit, vt ſecuribus, quæ præferebantur magiſtratibus, virgarum alligarentur faſces: ne temerè eam alteri pœnam infligeret, cuius illum poſtea fruſtra peniteret: ſilentium monſtrauit Thenodorus Philoſophus. Nam cum ab Auguſto ſe miſſum fieri vellet, rogatus in poſtremo congreſſu, vt aliquid quod perti-

neret

neret ad inſtitutionem imperatoris, proderet: monuit Auguſtum, vt quoties in iram incideret, nihil prius vel ageret, vel diceret, quàm græcum Alphabeticum ſecum recitaret.

QVOD VIR MANSVETVS, ADVERſus omnes offenſiones ſit armatus. XXII.

CVM quis de iniuria ſibi illata quæreretur: querelarum dixit hæc ſunt crimina potius: quàm culpæ. vt enim graue eſt inferre, ſic turpe eſt neſcire iniuriam pati. vir quippè bonus non eſt, qui malos non tolerat. Manſuetus igitur qui eſt, aduerſus omnes iniurias, eſt armatus. Nam cum benè fecerit, malè audire non iniuriæ, ſed gloriæ ſibi ducit. Quare ſicuti Maluæ ſucco aſperſus neq; apum, neq; ſcorpionum aculeis, neq; aranearum morſibus lædi poteſt: ita Mitis qui à mitigando ideo eſt dictus, quòd ſumma mitiget hominum odia, nulla redditur deterior iniuria.

QVOD ABIECTIS, ET SVPPLICIbus, ſpes non ſit fallenda. XXIII.

MISERICORDIA olim apud Perſas, ſic colebatur, vt nunquàm antè Reus in iudicio damnaretur, quàm de eius virtute ageretur: ne crimen plus ad ſupplicium: quàm virtus ad præmium videretur habere momenti. Dicebat autem ille neminem eſſe tam peruerſum, qui nulla ex parte poſſet laudari: proinde graue quiddam eſſe, & acerbum, ſupplicem à ſe abſterrere, & excludere, ita ſenſit Zenocrates Carthaginenſis. Nam cum

aliquan-

aliquando ſederet,in Aprico loco, & Paſſer, quem ad prædam accipiter inſectabatur, ei in ſinum deuolaſſet: ille paſſerem, quem cum hilaritate exceperat,ſtatim vbi euolauit accipiter, nudato ſinu dimiſit: inquiens nefas eſſe,ſupplicem prodere.

QVOD CLEMENTIA PRINCIPIS *popularis gratia ſit ſocia.* XXIV.

INTERROGANTI cuidam quæ breuis,& compendiaria eſſet Principi,ad beneuolentiam popularem via: clementia reſpondit. Nam qui Princeps Clemens eſt, imperitæ multitudinis linguam, quæ flabellum eſt plurimarum contumeliarum: in ſui laudem exacuit. Teſtis eſt Philippus Macedonum Rex. Hic enim cùm maledictis,à Nicanore Macedone laceraretur: atq; iccircò vrgeretur ab amicis, vt in illum animaduerteret, non ſolum negauit Rex: ſed etiam vbi accepit,Nicanorem magna laborare inopia: dono ei pecuniam miſit. itaq; ſtatim ex petulanti, & maledico, factus eſt Regis ſtudioſus, & buccinator eius gloriæ. quod tandem illis mirantibus, videtis inquit,in manu noſtra eſſe, vt quæ velimus, à populo, de nobis audiamus.

Non eſt populi in Principem difficilis amor, ſi modo adſit clementiæ vmbra. Nam veteri prouerbio, vt hamo piſces: ſic beneficio capiuntur homines.

DE VINDICTA TITVLVS XV.

DVO in Rep. aiebat Democritus eſſe Numina, ſine quibus, ciuilis dirimitur ſocietas: præmium, & pœnam. Etſi enim vindictam non ſumere mitis fortè, & beneuoli eſt Principis: eſt tamen contra ius, iuſtitiam à vindicta reuellere: non pietatem colere, ſed truculentàm plagam iuri, & legibus infligere. Non enim magis vitium ſupplicio, quàm virtus præmio, in bene inſtituta Rep. poteſt vacare. Siquidem nihil eſt vindicta, niſi iuris con ſors, & iuſtitiæ ſocia. Quod ſi iudex non debet eſſe mitior lege, vbi vindictam negligit, legem violat. quid legem violat? imò Sonem deteriorem facit. Nàm miſer quis non ſupplicio fit, ſed peccato. At cùm aliquando de hác Cardinalis ALDOBRANDINI virtute, & gloria multa afferrentur digna cognitu, diſputationis tamen plena: non potui, non acquieſcere in ore, & ſermone FABRICII Boſſij. Non quia iuriſprudentiam plurimarum artium dotibus locupletauit, viaſq; diſſerendi omnes nouit eas, quibus in rerum diſceptatione, fuga intercluditur tergiuerſantibus: Sed quia in facultate dicendi, quaſi alter Carneades, doctrinam cum delectatione fundit earum rerum, quæ aguntur, & dicuntur, in quo ſales ſunt cæterarum omnium virtutum. Sed quæ partim ab eo, partim ab Alijs, Cardinalis ALDOBRANDINI de vindicta colligere potui Apophthegmata, eorum ſeries hæc eſt.

1 *Quòd nihil graue, & acerbum oleat vindicta.*
2 *Quòd vindictam Principis, populi temeritas vertat in crudelitatem.*
3 *Quòd vir iuſtus pluris faciat vindictam ſine vita, quàm vitam ſine vindicta.*
4 *Quòd crimen nullum relinquatur impune.*
5 *Quòd Res momentanea ſit peccatum: nota peccati ſempiterna.*
6 *Quòd Nemo ſit tam improbus, qui ſupplicio non corrigatur.*
7 *Quòd inſontibus tantum, non Amicis, non parentibus parcat vindicta.*
8 *Quòd inulta eſſe non debeant, quæ funduntur inutilia.*
9 *Quòd qui Male iudicat, ſe grauiſſima pœna condemnet.*
10 *Quòd vir bonus maximè vindictam ſumat de inimico.*
11 *Quòd ad Deum Immortalem, & Principem ſolum pertineat vindicta.*
12 *Quòd ſuos habeat vindicta errorum ſcopulos.*
13 *Quòd vltrò ſua impietatis vindictam facit, qui Principi infert iniuriam.*
14 *Quòd minime fas ſit, impunè peccare.*
15 *Quòd vindicta non ſit pœna delinquentis, ſed Medicina:*
16 *Quòd ſupplicij pœna, ſit delicti menſura.*

QVOD NIHIL GRAVE ET acerbum oleat vindicta. I.

EST aiebat, vindictæ nomen ſuaue, res ſalutaris; Nec enim ſupplicium eſt peccati pœna: ſed medicina. Vindicta igitur iure à vinciendo eſt dicta, quòd ſola virtutum omnium ſit vinculum. Quid enim eſt aut prudentia, niſi fraudulentiæ: aut temperantia, niſi libidinis: aut iuſtitia, niſi auaritiæ: aut deniq; fortitudo,

titudo, niſi ignauiæ vltio, & vindicta? pœnam qui oderit, non debet is occultare peccatum: ſed cauere. Etenim nihil diu poteſt homines latere. optime id Poetæ. Nam cur veritatem Temporis, & Memoriæ filiam fecerunt? quia, vt Ægyptiorum Sacerdotes aſſerunt, alius de alio iudicat dies: ſupremus autem de omnibus.

QVOD VINDICTAM PRINCIPIS, Populi temeritas vertat in crudelitatem. II.

NON falſò Cato Senior ſolet prædicare, mallè ſibi pro beneficio gratiam non haberi: quàm pro maleficio, culpam non expiari ſupplicio. Nam præmium qui capit, largientem docet eſſe iuſtum: qui verò pœnas luit ſui criminis, ipſe ex iniuſto fit iuſtus. Boni igitur cùm ſit Principis, bonis viris malle præmium dare: quàm ab improbis ſupplicium exigere, cuidam interroganti quid potiſſimum Principem ad ſæueritatē iudicij, exacueret: populi reſpondit prauitas. Etenim Alexander Macedonum Rex, vt ab aliorum exemplis recedam, ex mitiſſimo, propter nefaria populi ſcelera, acer euaſit, & acerbus. Nam donec Darij opes euertit, nemo eo fuit benignior: at vbi deinceps ſenſit ſpem impunitatis, in populo magnam eſſe illecebram peccandi: atq; per inſolentiam conſpirationes, nocturnoſq; in ſui cædem tumultus fieri: ex facili, mite, & placido: ſæuus, & crudelis factus eſt.

QVOD

QVOD VIR IVSTVS, PLVRIS FACIAT *Vindictam ſine vita: quàm vitam ſine vindicta.* III.

QVONIAM qui peccanti indulget, dupliciter peccat; ſemel quia legi derogat, & iuſtitiæ: iterum quoniam Reus pœna deſtitutus, ea deſtituitur medicina, qua par eſt animi eius morbum curari: ſolitus eſt dicere, iuſto Principi non minus charam eſſe vindictam, quàm iuſtitiam: iuſtitiæ autem vitam ſemper eſſe poſtpoſitam. Grande in fabulis, argumentum eſt veritatis. Nam cur Achilles à Thetide matre Dea admonitus, ne occideret Hectorem, eò quòd poſt illius necem, ſibi ſtatim moriendum eſſet, voluit potius eius morte, Patroclum amicum ab eo occiſum vlciſci, quàm Hectore ſuperſtite, morti non ſuccumbere? quoniam vindicta pars eſt iuſtitiæ, ſine qua nemo poteſt reſpirare, ſine turpitudine.

QVOD CRIMEN NVLLVM RELINquatur impunè. IV.

ETSI vindicta in Sacrario iuris, ſic videtur eſſe repoſita, vt eius metus ad multos, cruciatus ad paucos pertineat: inquiebat tamen neminem ex peccato abire ſine ſupplicio. Nec deeſt in hac re, antiquitatis auctoritas. Etenim cur apud Homerum, Cacus ob ſurreptas boues, ab Hercule, bobus recuperatis, eſt ſuffocatus? quoniam non eſt ſatis, innocentem habere quod ſuum eſt: niſi etiam habeat qui nocens eſt. Quod dicitur de Caco, id eſt eiuſmodi, vt ad improbiſſimũ quemq; poſſit transferri.

Nam

Nam Cacus ſi vox ad viuum reſecetur, Improbi viri habet interpretationem.

QVOD RES MOMENTANEA SIT peccatum: nota peccati ſempiterna. V.

CVM inter diſſerentes de vindicta peccati, veniſſet, dixit multò minus eſſe mortis ſupplicium, quàm peccati delictum. Partim quia moriens poteſt eſſe felix, non poteſt peccans, non eſſe miſer: partim quoniam mortis pœna, vno definitur momento temporis: peccati verò nota etiam perexiguij, vix vllo abſtergitur ſeculo. Ad rem non inelegans eſt fabula. Nam quare Coruus, ſi Poetis credimus, ex albo in nigrum eſt commutatus? non quia quod falſum: ſed quoniam quod verum erat, non loco, protulit. Itaq; leuiſſimi etiam peccati, vt videre eſt Corui teſtimonio, ſempiterna ſæpe eſt macula.

QVOD NEMO SIT TAM IMPROBVS, qui ſupplicio non corrigatur. VI.

INQVIEBAT nihil eſſe flagitioſis indulgere, niſi ius, & iuſtitiam iugulare: nihil improbos defendere, niſi bonos viros oppugnare. quæ quidem res non eſt miſericordiæ, ſed extremæ crudelitatis. Quocirca grauius ſæpe peccant, qui peccatum non puniunt, quàm qui committunt. Tanta quippè eſt vindictæ vtilitas, vt non ſolum eius pœna ſit delicti commiſſi medicina: ſed etiam cautio tacita futuri. Nam quorſum, ſi ſapientes conſulimus, Malus Punica in Hieroglyphicis, Cuneo ad medullam per medium adacta? habet Symbolum ex

ſupplitio correctionis ſignificationem. Hæc enim arbor fructus pariens acidos, ſi cuneo, ex pinu, ducto, vſque ad medullam transfigatur, fructus ex acidis, & auſteris, in dulces, & ſuaues conuertit. ex quo admoneri videmur, neminem magis noſce, quàm qui dat pœnas ſui ſceleris, malis bene vti.

QVOD INSONTIBVS TANTVM: *non amicis, non parentibus parcit vindicta.* VII.

CVM ageretur de ſcelerati hominis iudicio, & pęna: atq; in hydriam ab ipſo Senatu, atri omnes coniecti eſſent calculi, tum fautori cuidam eius interroganti, cuinam igitur eſſet parcendum: ſi ei non parceretur, cuius pœna diſpliceret multis. Dixit non amicitiæ eſſe parcendum, non ſanguini, ſed innocentiæ: Satiuſq; eſſe improbi vnius ſupplicio, multorum arcere improbitatem: quàm propter multos improbos, vni parcere. Zaleucus itaq; qui legem Locris cùm ſtatuiſſet, vt qui in adulterio eſſent deprehenſi, ijs eruerentur oculi: eamq; legem filius violaſſet: tandem veniam rogante populo, iuſſit, vt aliquid videretur facere in gratiam populi, filio vnum, ſibi alterum oculum erui: quò & populo, & legi ſimul obtemperaret.

QVOD INVLTA ESSE NON DEBENT, *quæ funduntur inutilia.* VIII.

NON magni intereſt quàm ſingulari verborum apparatu quid dicatur: ſed quàm munita ratione, & quàm verè dicatur. itaq; eos non ſolum cenſura, ſed etiam pœna dicebat eſſe dignos, qui ſuauia ſcri-

berent, non vtilia. ſic Lacedæmonij Archilochum Poetam ex vrbe eiecerunt, quod carmen ſcripſerat, in quo oſtendi videbatur ſatius eſſe, in prælio, arma: quàm vitam amittere. Non enim virtus vitæ: ſed vita virtutis gratia ſeruanda eſt.

QVOD QVI MALE IVDICAT A, SE Grauiſſima pœna condemnat. IX.

CVM quis ſe muneribus in amorem iudicis inſinuaſſet, magiſq́; amici corruptelam, quàm ipſum amicum diligeret: Iudex partes agens potius patroni, quam iudicis, interrogauit fortè, cuius legis, & iudicij grauiſſima eſſet pœna: malè ius reſpondit, dicentis. ita Cambyſes Rex peruerſi cuiuſdam iudicis, ex corpore pellem detractam ſellæ intendit: in eaq; filium iudicaturum ſedere iuſſit. Hoc nouo ſupplicij genere, ne iudices corrumpi poſſent, in poſterum cauit.

QVOD VIR BONVS MAXIME, VINdictam ſumat de inimico. X.

NEQVE in oratione languidum eſt eius ingenij Lumen: neq; ipſa oratio moroſa ſapientiæ interpres. Interroganti num priuatis etiam hominibus licita eſſet vindicta: certè quidem, ſed ea, in primis dixit, quæ à Diogene præſcribitur. Hic enim ſciſcitantibus, quomodo quis in dicta cauſa, poſſet vindictam de inimico ſumere: ſi bonũ virum is, reſpondit, ſe præſtiterit. Nihil enim inimicus minus poteſt pati, quàm laudem, & gloriam inimici. Quare vir bonus vincit ferendo:

victuſq; redditur victore ſuperior. Nam iniuriam accipiens poteſt eſſe beatus: inferens non põt non eſſe miſer, & infelix.

QVOD AD DEVM IMMORTALEM & Principem ſolum pertineat vindicta. XI.

CVM nullum ſit peccatum niſi contra ius: nullaq; niſi peccati vindicta: nihil inquiebat eſſe rationi tam conſequens, quam vt penes Deum, & Principem vindictæ omnis eſſet auctoritas. Nam duplex eſt ius, diuinum vnum, quod eſt Dei immortalis: Alterum quod vocant poſitiuum, quia poni poteſt, & tolli, quod eſt Principis. vindictam igitur aduerſus inimicum, qui ſibi vſurpat, non fit vindex, ſed depopulator iniuſtus: quoniam, & Deum, & Principem ſpoliat ſuo iure. Nam vindicta, vt aſſerit Plato, eſt per quam iniuria omnis vlciſcendo propulſatur, non autem defendendo. Et enim hoc intereſt inter defendere, & vlciſci, quòd illud eſt priuatæ etiam perſonæ: hoc tantum publicæ.

QVOD SVOS HABEAT VINDICTA errorum ſcopulos. XII.

INTERROGANTI cuidam quam in Principe probaret vindictam: illam reſpondit, in qua ius neq; relangueſcit indulgentia, neq; effertur crudelitate. illa quippè qui labitur, condonando derogat legi: hac qui ſeducitur, legem obſequio non colit, ſed obruit ſcelere. probanda eſt igitur iudicij ſeueritas. Hac enim iudex non ſæuus redditur, ſed ſemper verus.

QVOD

QVOD VLTRO SVÆ IMPIETATIS vindictam facit, qui Principi infert iniuriam. XIII.

QVÆ ab alijs fit Principi iniuria, ſummis in auctorem, vindictę acerbitatibus eſt inuoluta. Conſueuit igitur dicere illum, qui aduerſaretur Principi, ſuo ſe gladio iugulare. Vetus eſt exemplorum auctoritas: nec in Hieroglyphicis muta eſt ad hanc rem & elinguis natura. Nam cur Ægyptiorum ſacerdotes Regiæ vindictæ Hieroglyphicum, per Leonem telo transfixum fecerunt? Neque Leo, neq; Princeps ſcit, aut beneficentia, aut iniuria vinci. Illud omitto: hoc ita patet, vt qui ſtudeat principem lædere, ſeipſum ſtudeat deſtruere. Non eſt, de Leone, res obſcura, aut tacita. Ferunt enim Iubæ Maurorum Regi iuuenem præſtantis animi fuiſſe Comitem, dum per deſerta, & inculta Africæ loca exercitum traijceret: Leonem verò ab eo Iuuene, ex armatorum manu, qui fortè occurrerat, ſagitta traſfiſſum fuiſſe, vulnuſq; ſuum tunc, ſe in ſyluas recipiendo diſſimulaſſe: anno verò iam elapſo, cùm Rex Iuba, rebus ex voto compoſitis, eadem via copias traduceret, illum Leonem, obſeruato iuuene, à quo vulnus acceperat, per medium exercitum, repente irruiſſe, atq; ex tam ingenti militum numero percuſſorem inuaſiſſe ſic, vt illum antè in partes diſcerpſerit, quàm quis in ipſo exercitu, poſſet adeſſe Iuueni.

QVOD MINIME' FAS SIT impune peccare. XIV.

QVIA mori ſæpe fas eſt: nunquam peccare, potiuſq; eſt moriẽdum, quàm peccandum, peccati nulla eſt excuſatio. Cum autem alterum naturæ: alterũ moribus ſit renitens: illudq́; improbo: hoc bono viro longè ſit difficilius, quærenti, quæ res omnium eſſet difficillima, crimen reſpondit, impunè abire. Neſcit.n.virtus. Neſcit Natura iniuriam inultam pati. Itaq; T. Manlius Torquatus eò reiecit conſulatum, quòd neq; Manlius poſſet ferre populi vitia: neq; Populus Manlij ſeueritatem. videtur item eſſe contra naturæ ius, peccatum inultum remanere. Siquidem & apes, qui hominem pupugit, amiſſo aculeo interit: & Scorpio collitus, atq; vulneri, quod homini inflixit, appoſitus dolorem tollit vulneris: atq; ſicuti haud quicquam, apud medicos vſitatum eſt magis, quàm ex venenatis beſtijs, remedium capere veneni: ita diuinis, humaniſq; legibus comparatum eſt, ex improborum ſupplicio, medicinam ſumere improbitatis.

QVOD VINDICTA NON SIT POENA delinquentis, ſed medicina. XV.

INQVIEBAT vindictam fellis naturæ eſſe ſimillimam. vtraq;.n. amara eſt: ſalutaris tamen. Altera ſua acritate ſenſum exacuit oculorum: ſanguinem purgat, & attenuat, vniuerſumq; corpus prauis humoribus abſtergit: altera ſuo morſu pariter, & acerbitate, ex peccantis animo, ſordes omnes tollit vitiorum. Quare Laocon apud Spartanos, nemini parcebat erranti: cũq;

luens pœnas quidam exclamaſſet peccaui inuitè, caſtigare igitur dixit,& inuitè. Improbus .n. à ſupplicio, & pœna ereptus, deteriori eſt conditione: quàm ægrotus medicina, & ſalutis præſidio deſtitutus. Quare quò Princeps eſt populi amãs magis,& ſtudioſus,eò in eius erratis expiandis eſt ſeuerior. Pęna .n. curatur animus: perditur vitio. Sed cauendum eſt,ne vindicationis amore, ex ſeueritate ad crudelitatem,Principi pateat aditus. Sic .n. Derbices vindictæ inſaniuerunt ſtudio, vt delicta omnia, vel minima vltimo expiarent ſupplicio.

QVOD SVPPLICII POENA, ſit delicti menſura. XVI.

CONFERT & ſordidis,& honeſtis viris Principis vindicta: qua vt medicina,non homines, ſed morbi tolluntur hominum: illis ne alios lędant: his, ne ab aliis lædantur. Interrogatus igitur quanta deberet eſſe pęna,quantum reſpondit eſt ipſum peccatum. Nihil .n. eſt vindicta, niſi peccati cum ſupplicio æſtimatio par,& menſura. At peccatum ſemper eſt nimis, nec corrigi poteſt,niſi ſublatum: quia in peccati genere quod parum eſt, non reperitur. Res eſt igitur ſummæ artis,& diuini propè conſilij,parem delicto pœnam inuenire.

DE FORTITVDINE TITVLVS XVI.

FORTEM, & prudentem ſimul aliquem reperire eſt difficile. Nam vtriuſq; cauſæ ſunt contrariæ. Dilutus quippè ſanguis, & tenuis prudentiæ: craſſus, & niger fortitudinis, in homine habet ſignificationem. Nec ambæ illæ virtutes eiuſdem ſunt ætatis. Nam prudentia ſenili: fortitudo iuuenili viget ętate. Nihil autem eſt in externis malis, quod fortem perterreat. Etenim qui mortem, & dolorem contemnit, quid eſt, cùm nihil neq; in corpore, neque in fortuna, mali conſtituat, quod in ijs magnopere poſſit timere? Quia fortitudo, virtus eſt pugnans pro æquitate, qui fortis eſt, non periculum timet, ſed dedecus. Victus igitur laudatur, quia non timuit mori: vincens etiam alios ad laudem excitat, quia nihil quod contra ius eſt ſuſtinet. Solus habet artem audiendi, & timendi. Nam vbi audet temerarius, ibi timefortis: & vbi timidus perhorreſcit, ibi effertur audacia fortis. omnia enim audere, eſt inſaniæ: nihil audere deſperationis: audere vbi eſt timendum temeritatis: timere verò vbi eſt audendum fracti, & remiſſi animi; horum omnium ars, & ſcientia in vna fortitudine eſt poſita. Nihil tamen magis, in fortitudine, quàm metus improbatur. Non enim quia res ſunt difficiles, eas ſæpè timent mortales: Sed quia timent redduntur difficiles. Fit igitur plerunq; vt plus ſit in timore, quàm in eo, quod timetur, mali. Nec ferro vinci, nec malis artibus decipi, ſcit vir fortis: nec pacientia dedecus pati:

periculoque ſuccumbere, omni morte triſtius ducit. In bello igitur æque eſt ad mortem, atque ad cædem paratus. Non enim, vt inquit Plato, vita ætate longa: ſed virtute aucta, feliciter terminatur. Quare nemo eſt vir fortis, cui non creſcit animus cum ipſa rerum difficultate. Nam ſi in armis aut vi, aut dolo ſuperandus eſt hoſtis, nunquam fortitudo audacia debet vacare. Nam ſine audaciæ præſidio, vt ait Thucidides, nullus dolus valet contra periculum. Ad huius autem virtutis gloriam Cardinali ALDOBRANDINO veluti quidam cumulus accedit ſingularis GEORGII Ripæ Senatoris auctoritas. Nam ſi ea laus omnis, quæ ab impuris hominibus proficiſcitur, contumelioſa eſt, quia nihil, quod non turpe ſit, & putidum, probant: illa demum, qua Cardinalis ALDOBRANDINVS à GEORGIO RIPA ſapientiſſimo Senatore celebratur, plena eſt auctoritatis, & gloriæ, quia cum iudicij, & virtutis teſtimonio eſt coniuncta. Hic enim vnus eſt Senator, qui non minus fide probatur, quàm eloquentia: quique non ingenium doctrina: ſed doctrinam omnem decorauit ingenio. Nam in eo fax illa Promethei de cœlo accenſa, ad omnes controuerſiarum tenebras illuminandas eluceſcit. Quare lubens, iam tanto viri auſpicio, ad Apophthegmata venio.

1 *Quòd Imperij tutela fidiſſima ſit, in vna fortitudine poſita.*
2 *Quòd fortitudo temperantiæ, in Imperio ſit anteponenda.*
3 *Quòd fortitndo in periculis, Lydius lapis ſit amicitiæ.*
4 *Quòd fortitudo virtus ſingularis ſit Principis.*

Quòd

5 *Quòd in Bello, animi robur præſtat corporis viribus.*
6 *Quòd Imperator, non vitam in bello, ſed victoriam curet.*
7 *Quòd nulla apud virum fortem, ſit Minantis auctoritas.*
8 *Quòd quò res ſit periculoſa magis, eò gratior ſit viro forti.*
9 *Quòd fortem qui laceſcat, ſuo ſe iugulet gladio.*
10 *Quòd fortitudo aduerſus timorem, animi ſit armatura.*
11 *Quòd viro forti quantum detrahitur: tantum addatur animi.*
12 *Quòd Rara res ſit fortitudo: vmbra fortitudinis frequens.*
13 *Quòd Principis gloria vna fortitudine ſit depaſcenda.*
14 *Quòd in hoſte non virium robur: ſed animi timenda ſit fortitudo.*
15 *Quòd vir fortis non videatur poſſe in exilium detrudi.*
16 *Quòd viro forti, ne minimus quidem inimicus ſit contemnendus.*
17 *Quòd viro forti nulla lingua ſit procacitas.*

QVOD IMPERII TVTELA FIDISSIMA ſit in vna fortitudine. I.

INCVNABVLA Reip. & diſciplinæ militaris cùm trahantur ab vno Hercule, interrogāti cuidam qualis deberet eſſe Princeps: fortis, reſpondit. Officium .n. Principis non ſolum verſatur circa difficilia: ſed etiam circa terribilia. Solitus igitur eſt Tiberius Cęſar dicere: cùm inter amicos ageret, neſcitis quanta ſit bellua, quāque multorum capitum, imperium. Tutius quippè eſt lupum, veteri prouerbio, auribus tenere, quā populo imperare.

QVOD FORTITVDO, TEMPERANTIÆ, in imperio, ſit anteponenda. II.

LLLIVS oratio quocunq; ingreditur, eodem ſemper inſtructu ſapientię, ornatuq; eſt comitata. Interroganti igitur

ti igitur, cùm de militari diſciplina ageretur, cur fortitudo pręſtantior eſſet, quàm temperantia: quia reſpondit fortitudo ad bonum commune: ad priuatum magis ſpectat temperantia. Nec id artis ſolum: ſed etiam naturæ, quæ neſcit mentiri, conuincimus teſtimonio. Nam cùm ſenſus eò maiori commendantur voluptate, quò magis ſunt neceſſarij, cur in re venerea plus, quàm in alimenti neceſſitate, eſt voluptatis? vt certè natura magiſtra intelligamus, quia altera priuatę: altera publicæ conſulit vtilitati, publicum bonum ſemper priuato eſſe anteponendum.

QVOD FORTITVDO IN PERICVLIS, Lydius lapis ſit amicitiæ. III.

EA probatur maximè oratio, quæ in ſenſus eorum, qui audiunt cum virtutis aculeo influit. Solitus autem eſt dicere, amicum ab amico in periculis deſeri, non culpam eſſe ignauiæ: ſed crimen perfidiæ. Non vacat vox iſta, apud multos, iudicij gloria: quam ſua auctoritate non debilitat, vel auget potius ipſe Solon. Nam legem ſanciuit, qua capite puniebatur, qui in ciuili ſeditione, neutram partem eſſet ſecutus: eò quòd patrię, in qua, communis tenetur ciuium omnium amicitia, quaque nihil eſt amabilius, videretur non deſertor, ſed proditor.

QVOD FORTITVDO VIRTVS ſingularis ſit Principis. IV.

VERBIS eius obſcuriſſima quæq; doctrinæ documenta, quia ſolent illuminari, illis non eſt hoc loco obdormiendum. Interrogatus quippè quo fortitu-

dinis ſtudio duci deberet Imperator: eo dixit, quo ferebatur Pelopedas Thebanus Imperator. Nam cùm aliquando hic, in expeditionem proficiſceretur, eiq; vxor quam vnicè diligebat, profuſis lachrymis ſupplicaret, vt ſaluti ſuæ conſuleret. Non eſt reſpondit, Imperatoris: ſed priuati militis, ſuam ſalutem defendere: Huius enim officium eſt, ſe ab hoſte tegere: illius vniuerſum exercitum incolumem ſeruare.

QVOD IN BELLO, ANIMI ROBVR *præſtat corporis viribus. V.*

NVNQVAM tot occupationibus eſt inuolutus, vt ſi modo reſpirare poſſit, non videatur quod conſonet publicæ vtilitati, ſpirare. De re igitur bellica cùm fortè incidiſſet oratio, dixit virum fortem in bello, lungo interuallo, Robuſto eſſe anteponendum: eò quòd corporis viribus pugnamus: animi robore vincimus. Quapropter ſi Polydamus pugil, qui tanti fuit roboris, vt montem in ſpecum decidentem, voluerit ſuis humeris ſuſtentare, cum Scęna Centurione certaſſet, Robuſtus certè ille, forti ſuccubuiſſet imbecillo.

QVOD IMPERATOR NON VITAM *in bello, ſed victoriam curet. VI.*

HAVD vnquam eſt præciſa, & ieiuna oratio, quæ ab eo funditur, cum multorum documento, & iucunditate. vbi inclinatis his temporibus de periculo reip. ageretur, interrogareturq; quid, in armis maximè timere debet Imperator: non mortem dixit,

ſed infamiam. comprobatur hæc eius ſententia, grauiſſimo Epaminundæ Thebanorum Imperatoris exemplo. Nam cùm cerneret, in extremo prælio, ad Mantineam, Hoſtium vires, in ſe vnum, ſic eſſe conuerſas, vt aut ſibi, aut exercitui eſſet pereundum: reſtitit inuicto animo, donec exercitum ſuum victorem reddidit. Verum Sparo ad necem traiectus, ſenſim ad ſuos ſe recepit, atq; poſtquam accepit ſuos, profligatis hoſtibus, victores euaſiſſe: ſatis diu, dixit, vixi: deinde ſparum ſibi euelli iuſſit, quo euulſo, ſtatim anima, cum ſanguine effluxit.

QVOD NVLLA APVD VIRVM fortem ſit minantis auctoritas. VII.

IRATO nullus eſt tantus dolor inuſtus: vt vlla eius apud fortē, minantis ſit auctoritas. Fortem igitur virum dicebat adamanti, qui neq; ferro infringi, neq; igne abſumi poteſt eſſe ſimillimum. Minantem autem, qui à minuendo eſt dictus, ideo vir fortis non timet, quia virtus eius non poteſt minui. Sic Leonidas Perſæ cuidam minitanti, quòd ipſi Lacedæmonij poſtero die, ex telorum multitudine ſolem non eſſent viſuri: in vmbra igitur, reſpondit, commodius pugnabimus.

QVOD QVO RES SIT PERICVLOSA *Magis, eò gratior ſit viro forti.* VIII.

NON eſt Princeps fortis, in armis, ſine conſilio: cum animo etiam plurimo. dicebat igitur illum in periculi flamma, non fugere periculum: ſed ſequi gloriam. itaq; Pædaretus ſigna cum Hoſte collaturus cuidam dicenti magnum eſſe hoſtiũ numerũ, tanto inquit gloriæ plus referemus: quanto plures interficiemus.

QVOD FORTEM QVI LACESCAT, *ſuo ſe iugulet gladio.* IX.

QVEMADMODVM Braſidas vir magnanimus eadem haſta, quam è vulnere eduxerat, hoſtem interemit: ita nemo, dicebat, fortis eſt, qui hoſtium vim, & impetum non retorqueat in ipſos hoſtes. Sic Theſeus in eodem Labyrintho Minotaurum mactauit: in quo ipſe Minotaurus mortales intercluſos laniabat. Hac opinione ductus Hercules, viam voluptatis facilem, & expeditam ſpreuit: virtutis arduam, & horridam arripuit, ex qua monſtrorum non ſolum domitor: Sed etiam triumphator euaſit.

QVOD FORTITVDO ADVERSVS *Timorem animi ſit armatura.* X.

AB eo ſemper exit ingenij notis inſignita oratio. cùm quisigitur benè loricatus congreſſum cum hoſte ſubterfugeret: dixit non lorica animum contra

tra timorem, armari: ſed fortitudine. Hæc itaq; tanti olim, eſt habita, vt ea ſola à Romanis, virtutis nomine à viro ſit appellata: quòd viri ſingularis ſit, & propria. Nec aliam ob rem, Græci fortitudinem τὴν ἀνδρείαν vocant, niſi vt doceant virum ſine fortitudine, non ſolum dignitate, ſed etiam viri exinaniri nomine.

QVOD VIRO FORTI QVANTVM detrahitur: tantum addatur animi. XI.

INQVIEBAT virtutis aciem hebeſcere incō-modis: ſolam fortitudinem vireſcere vulnere. Eſt enim fortitudo animi armatura, quæ ferro non poteſt penetrari: nec vllo modo vinci: qua qui eſt indutus, in ipſo etiam exultat doloris cruciatu. Teſtis eſt ille Mutius, cui ſcæuolæ, eò quòd læua, propter dextram inflammatam, vteretur, cognomen fuit. Hic enim Porſenæ caſtra ingreſſus regium ſcribam, pro rege interfecerat. captus igitur atq; ſui erroris admonitus, dextram flammis iniecit, vt ea parte, qua erratum erat, à ſeipſo pœnam exigeret. viſum eſt id ſpectaculum, cum cæteris, tum ipſi regi plenum horroris. itaq; Rex vnius Romani ciuis virtute territus, pacem reddidit vniuerſæ ciuitati, vrbemq; ſoluit obſidione.

QVOD RARA RES SIT FORTITVDO: vmbra fortitudinis frequens. XII.

QVIA non poteſt dici, quàm iaceat turbulentis his temporibus, fortitudo: quantoq; fuco contra vmbra clareſcat fortitudinis; quærentibus amicis quis

nunc

nunc demum eſſet fortis: Nemo reſpondit, niſi qui Horatio Cocliti ſit ſimillimus. Sapienter ille quidem. Nam cùm fortitudo ex duobus maximè conſiſtat, ex ſuſceptione periculorum, & perpeſſione malorum: vtroq; Claruit Horatius Cocles. In altero enim omnem Hetruſcorum vim ſolus tandiu ſuſtinuit, quoad pons, quo Hoſtes erant in vrbem irrepturi, fuiſſet ab ijs, qui à tergo erant, abreptus: in altero autem à ſuis excluſus, hoſtium impetus non ſuſtinens, in ſubiectum Tyberim armatũ ſe præcipitauit, atq; incolumis ad ſuos enatauit.

QVOD PRINCIPIS GLORIA, VNA Fortitudine ſit depaſcenda. XIII.

NEMO, aiebat, magis Principem videtur inceſto ore lacerare, quàm qui Principi laudem tribuendo: Principis tamen fortitudinem inuoluit ſilentio, nec falſo quidem. Nam tota ars Imperandi, in fortitudinis clauſtris tenetur incluſa. Non obſcura, aut vulgaris eſt Ageſilai auctoritas. Nam percontanti quouſq; fines paterent, apud Lacedæmones imperij: ille haſta vibrata, reſpondit, quouſq; hæc poteſt vibrari. Qui enim fortis eſt Princeps, nouit non ſolum & in pace ſuſtinere, & in bello defendere: Sed etiam, re iam inclinata, & prope perdita, augere imperium.

QVOD IN HOSTE NON VIRIVM Robur: ſed animi timenda ſit fortitudo. XIV.

CVM quis in eum inueheretur, qui plurimum haberet animi, non minimum conſilij: vide dixit ne Leonem in te excites dormientem. Neq; enim Leo: neq; vir fortis

vir fortis ſcit ſuperari: faciliuſq; poteſt mori, quàm perterreri. præclarum eſt Marci Seruilij teſtimonium, qui vicies, & ter amplius ſingulari certamine pugnauit, ac ſemper victor in caſtra eſt reuerſus, hoſtili ſpolio onuſtus. Neq; per leonem obſcurum eſt naturæ Monimentum: qui mauult in conflictu mori, quàm turpiter vulnera vitare. Neq; forti viro grauis videtur mors, ſi honeſta ſit modo: vt aliquando docuit ille Lacon. Inſidijs enim ab Iphicrate Athenienſium Duce intercluſus, interrogantibus militibus, quid eſſet in re tam profligata agendum: nihil aliud dixit, niſi vt vos veſtræ ſaluti conſulatis; ego verò fortiter pugnando glorioſè moriar.

QVOD VIR FORTIS NON VIDEATVR poſſe, in exilium detrudi. XV.

CVM fortè de exilio ageretur, ſciſcitantibus amicis cur omne ſolum forti, vt veteri fertur prouerbio, patria ſit: quia dixit, vbi bonum, ibi patria: ſed forti nihil vſquàm poteſt accidere mali, cùm vniuerſa lucro habeat mala: ergo nunquam exulat, cui vbiq; eſt patria. Hùc accedit, ꝙ nullo locorum interuallo reuellitur, à ſuo munere, & officio, eò quòd vbiq; gẽtium digladiandum eſt. Etenim nihil eſt ipſe mundus, niſi elementorum diſſidium: nihil hominum vita, niſi appetitus cum ratione, ſocietas inſidioſa: nihil Reſp. niſi perſonarum diſcrimen, quarum aliæ imperio, aliæ ducuntur obſequio. Forti igitur ſoli vita eſt glorioſa. Nam is in terræ globo: tanquàm in acerrimi certaminis theatro conſiſtit: in cœli medio, ex quo effugere non poteſt, niſi aut victor, aut victus. vir igitur fortis, Mas quaſi Mars bellandi Deus ab antiquis dicebatur: eò quòd victores ſummo in cœlum rapiuntur triumpho: victi ad inferos detruduntur cum cruciatu, & opprobrio.

QVOD VIRO FORTI, NE MINIMVS quidem inimicus; ſit contemnendus. XVI.

EAM incudem à viro forti inquiebat tundi oportere, vt etiam minimus hoſtis caueretur. potuit enim aliquando paruus Culex, vt eſt in Apologis, Leoni non minimum faceſſere negotij, ſenſimutq; eos, qui grandes & potentes viros proſtrarunt, ab homonculis interdum fuiſſe proſtratos. Qui enim Italiam vicit Annibal, Capuæ à muliercula victus eſt. quid? Hercules orbis terræ victor, ab vna victus eſt Deianira. Quare fortis eſt, non qui hoſtes modo ſuperat, ſed etiam qui ſuperior voluptatibus exiſtit: parumq; eſt vim repellere, niſi etiam dolus caueatur. illa in malis: hic in voluptatibus magis deliteſcit. eſtq; hic maximè cauendus. Nam vt vires ingenio: ſic ingenium facile ſuperatur voluptate.

QVOD VIRO FORTI NVLLA linguæ ſit procacitas. XVII.

SOLITVS eſt dicere virtutem eſſe multæ induſtriæ, & magni laboris: ſermonis verò minimi. ea re Lucius Dentatus, Achilles Romanus eſt appellatus. Non enim linguã, ſed manus pugnando mouebat, ne canes ignauos, ſed Leones videretur imitari. Nam canis timidus vehementius latrat, quàm mordet. Quemadmodum igitur olim vmbrici in bello aduerſus hoſtes, turpiſſimum eſſe ducebant victum viuere, atq; iccirco neceſſe eſſe aut vincere, aut mori. ita vir fortis mauult virtutem ſine vita: quam vitam ſine virtute.

DE MAGNANIMITATE SIVE HONORE TITVLVS XVII.

MAGNANIMITAS, vt ait Ariſtoteles, virtus eſt, per quam vtraq; fortuna: decuſq; & ignominia fertur. Nam ſi magnanimus quis fuerit, nunquam, vt ait Seneca, iudicabit ſibi contumeliam fieri: cùmq; inimicum habebit, in ſua poteſtate: vindictam putabit potuiſſe vindicare. Magnum enim, & glorioſum eſt vindictæ genus, ignoſcere. Hac virtute qui eſt præditus tendit ad ardua: nec pericula appetit, vt temerarius: nec formidat, vt timidus. magna enim contemnit, mediocriaq́; mauult, quàm quæ ſunt nimia. Quicquid cadere in hominem poteſt, id omne vincit ferendo. itaq; Pittacus Mitilenæus ſic Prudentiam, & Magnanimitatem diſtrahebat: vt illius eſſe diceret, ne quid mali fieret cauere: huius autem ſi quid accidiſſet, moderate, & leniter ferre. Hanc autem virtutem Optimus Senator MARIVS Conradus tanta ſemper in Cardinali ALDOBRANDINO coluit obſeruantia, vt diceret eorum magis eſſe metuendam inuidiam, qui tantam virtutem ſilentio obruerent: quàm eorum fidem eſſe laudandá, qui illam laudibus in cœlum tollerent. Neq; enim adhuc inuidus vllus eſt repertus, qui ex alieno bono tantum hauſerit acerbitatis, quantum, ex Religioſiſſimi Principis fructuoſiſſima hac virtute Conradus Senator capit voluptatis. De ea quippè ita ſæpè locutus eſt, vt non ſolum Cœleſtis, &

diuina videretur eius virtus: Sed etiam is aliquo duci numinis afflatu, cum de ea loqueretur. quæ res me ad ſcribendum, quæ in hoc genere collegi Apophthegmata, fecit liberiorem.

1 *Quòd & ſpes, & metus apud Magnanimum, minimum habeat auctoritatis.*
2 *Quòd honore ſit depaſcenda virtus.*
3 *Quòd gloria etiam fugientem ſequatur virtutem.*
4 *Quòd virtutis honor, non in verbis, ſed in factis maximè conſiſtat.*
5 *Quòd Magnanimitas ſit virtutum omnium decus.*
6 *Quòd Magnanimus malit iniuriæ vulnus contemnere quàm vlciſci.*
7 *Quòd Magnanimus omnia aperto Marte, vt aiunt, attentet.*
8 *Quòd Magnanimus amicus ſit honoris: ambitionis inimicus.*
9 *Quòd nullum ſit ad Magnanimitatem iter, non plenum periculi.*
10 *Quòd Honor non cadat niſi in virum bonum.*
11 *Quòd Magnanimitati, quæ ſumma eſt, deſponſa ſit gloria.*
12 *Quòd præmiorum Maximus ſit honor.*
13 *Quòd Duplex ſit Honoris ratio.*
14 *Quòd vir bonus honorem auget fugiendo.*
15 *Quòd Honor non languida virtutis ſit interpres, & nuncius.*
16 *Quòd in Sublato etiam honore veſtigia remaneant virtutis.*

QVOD ET SPES, ET METVS, APVD Magnanimum minimum habeat auctoritatis. I.

AIEBAT Magnanimum ſe, neq; in populi: neq; in principum beneuolentiam blanditijs, & aſſentationibus immergere: omnes ſimulandi, & diſſimulandi artificio eruditos ab eo in odio haberi.

Teſtis

Teſtis eſt vnus inſtar omnium Solon. Nam cùm propter Piſiſtrati tyrannidem, Athenis malè acceptus eſſet: ad eumq́; Croeſus Lydorum, & Babiloniæ Rex ſcripſiſſet, vt ad ſe veniret: rogaſſetq́; vt ſecum habenas imperij regere vellet: Solon tamen nec populi metu: nec ſpe tanti Regis adduci potuit, vt conſilium Athenas deſerendi caperet.

QVOD HONORE SIT DEPASCENda virtus. II.

QVIA nulla incurſio, & impetus armatorum poteſt Magnanimum ex arce detrudere rationis, in qua inſedit, atq; inueterauit virtutis omnis, & ingenij gloria: inquiebat magnanimitatem, in Principe ſummis honoribus, quaſi quibuſdam cibis, eſſe depaſcẽdam. Non enim aurum: non gemmæ: non puellæ captiuæ, vt eſt apud Homerum, merces eſt virtutis: ſed ipſa gloriæ fama, quæ tanta eſt, vt vix vno capi poſſit ſeculo. Atq; hanc ob rem Trophæa: Triumphi: ſtatuæ: Coronæ: Panegyrici, qui ad poſteros traducantur, ſunt inuenti.

QVOD GLORIA ETIAM FVGIENtem ſequatur virtutem. III.

QVIA facile eos officij capit obliuio: qui gloriæ incenduntur cupiditate: quò quis propius ad virtutem accedit, eò longius inanis gloriæ auram fugere conſueuit. Itaq; interroganti cuidam qua ſemita Duci ad veram gloriam pateret aditus, qua reſpondit, L. Brutus: Q. Fabius maximus, & Paulus Æmilius eſt profectus. Hi enim nihil aliud cogitarunt in

vita: nihilq; egerunt, niſi quod pro ſalute populi, & dignitate patriæ, præclarum videretur, & laudabile.

QVOD VIRTVTIS HONOR NON IN *Verbis: ſed in factis maximè conſiſtat. IV.*

QVANDO multi norunt honeſta nomina, turpiſſimis rebus imponere: ſæpeq; fortitudo temeritatis vapulet nomine, & temeritas geſtiat fortitudinis appellatione: conſueuit dicere, in virtute non verba, ſed facta rationis pondere eſſe examinanda: fortitudinis laudem eſſe non nomen: ſed ſeipſum vincere: iram continere: nullis illecebris capi: aduerſis non perturbari, neq; extolli rebus ſecūndis: nec aliū ſe in alia fortuna præbere. Quare non eſt viri, aut cupiditatibus vinci, aut metu frangi: aut iracundia incendi, quæ non ſolum conſilium, ſed etiam iudicium tollit.

QVOD MAGNANIMITAS SIT *virtutum omnium decus. V.*

ERAT hoc in eius ore, & ſermone habitans, magni eſſe & elati animi, non hoſtes in periculis: ſed amicis timere: dolorem ſuum toleranter, grauate ferre alienum: neq, in ſecundis rebus voluptati, neq; in aduerſis cedere languori: nec in conſilij deliberatione ſpem, ſed officium ſequi: nec deniq; in iudicio pecuniam, ſed iuſtitiam quærere. Nam quemadmodum Caligula Imperator nullius belli tantopere ardebat deſiderio, quàm eius, quod plurimum haberet terroris, & periculi: negareturq; ab omnibus confici poſſe: ita magnanimitatis eſt ad ardua in

virtutis

virtutis ambitu mortales ſic inſtruere, vt non magnum quod eſt: ſed id quo nihil maius eſt, appetant.

QVOD MAGNANIMVS MALIT iniuriæ vulnus contemnere, quàm vlciſci. VI.

EVM demum inquiebat eſſe magnanimum, qui omnino aduerſus iracũdiæ obduruiſſet aculeos. eò quòd non magnum ſit, in iniuriæ vulnere, iraſci: ſed nullum iræ, in quo conſiſtat, locum relinquere. Nec enim minus eſt Magnanimus conſilio conſtans, quàm animo fortis. Nam cùm circa id verſetur, quo nihil extet melius, nihil minus videtur eſſe magnanimi, quã mutare conſilium. In altero vulgare, & peruagatum eſt naturæ teſtimonium. Nam quorſum trito ſermone prouerbio Aquila non captat Muſcas? non eſt magnanimitatis, ſi bene attendimus, ignauorum hominum petulantiam, quæ morſu fertur, & aculeo, curare: ſed tanquã futile quiddam, & inane negligere. In altero etiam non minus eſt euidens, quam præclarum Socratis exemplum. Hic enim tantæ fuit conſtantiæ, vt accuſatus ab Anyto, nec patronum quæſierit ad iudicium capitis: nec iudicibus ſupplex fuerit. facilius enim Magnanimus poteſt mori, quàm mutari.

QVOD MAGNANIMVS OMNIA aperto Marte, vt aiunt, attentet. VII.

QVIDAM fortè interroganti, quis neſciret ſimulare: Magnanimus reſpondit, apertè enim aut odit, aut amat: nihilq; latenter agit. Nam vtrumq; oc-

cultè facere eſt timiditatis. remota omitto exempla. Quia enim Antiſtes hic Ampliſſimus, non ſe, ſed Eccleſiam: non ſua, ſed reip. bona tuetur: nec in vllo tribunali auro, ſed iure capitur: nec in amore gratia ducitur, ſed veritate: nec deniq; curat quàm laborioſè, ſed quàm iuſtè gubernacula tractet Eccleſiæ, à nemine vnquàm maiora, quàm ab eo exierunt Magnanimitatis documenta. Nam cùm robur omne Magnanimitatis, in elatione conſiſtat animi, cuius nerui, & vires definiuntur mente, ratione,& opinione: mentem ſapientia: rationem arte: opinionem omni rerum experientia auxit, & cumulauit.

QVOD MAGNANIMVS AMICVS ſit honoris: ambitionis inimicus. VIII.

FREQVENS, & in omnium ore hæc eius eſt ſententia: nihil Magnanimum aut ſequi magis, quàm honorem, aut fugere longius, quàm ambitionem. ille enim comes eſt virtutis: hæc fraudis ſocia. Ambitioſus enim mauult bonus videri, quàm eſſe: honore quippe contentus, virtutem negligit. hùc accedit, quòd temerè ſe periculis obijcit, vt Torquati docet teſtimonium. Nam propter ambitionem, cum temerè pugnaſſet, victor capite damnatus eſt. Tripliciter errat princeps ambitioſus. primum, quia non virtutem, ſed virtutis gloriam quærit: iterum, quia tanquàm proditor alienæ ſalutis, temere amicos obijcit periculis: ac demum, quia euerſor eſt æquitatis, & iuſtitiæ. Non enim bonis viris: ſed adulatoribus præmia miniſtrat virtutis.

QVOD

QVOD NVLLVM SIT AD MAGNAnimitatem iter, non plenum periculi. IX.

RES eſt ignauis formidoloſa, vtilis tamen, periculi diſcrimen. Nam in veritatis campo, iter ad gloriam periculo aperiendum eſt. interrogatus igitur, quænam ad magnanimitatem tenderet via: quæ eſt reſpondit, & laboris, & periculi plena. itaq; Romani venationem in otio, potiſſimum addiſcebant. Nam ea, etiam cum ludicra exercitatione, ſunt amplexanda, quibus, cùm res poſtulat, id pellitur, quod non exercitatis plurimum faceſſit negotij. Quocirca poſt magnam aliquam victoriam, populo ſpectaculum aliquod exhibebant, in quo, non modo noſtrates feræ: ſed etiam ex tranſmarinis, & remotis prouincijs accerſitę lacerabantur truces, & immanes beſtiæ. non voluptatis: ſed virtutis ergo. Nam ex horribili earum ſpecie, & truculento cum ijs, certamine addiſcebat Populus Romanus, nihil aduerſus teterrima pericula perhorreſcere.

QVOD HONOR NON CADAT, niſi in virum bonum. X.

IGNAVI, vt ſolent olim Parthi, cominus præliari neſciunt: ſed omnia tentant eminus: illi non ſtantes, ſed fugientes pugnabant: Hi cæduntur præſentes, nec reſiſtunt fugientes. Quærenti igitur vtrum ſtans, an fugiens interpugnandũ magis eſſet laudandus: nemo, reſpondit, eſt laude dignus, niſi vir bonus. Nam Honor non ſolum præmium, ſed etiam opus eſt virtutis. Hoc declarare cùm vellet M. Marcellus, honori templum non ex detractis è montibus ſaxis, ſed ex manubijs Siracuſanæ prędæ erexit, ſicq; conſtituit, vt illud ingredi nemo poſſet, niſi per virtutis Ædem.

QVOD

QVOD MAGNANIMITATI QVÆ ſumma eſt, deſponſa ſit gloria. XI.

ETSI omnes ad res operoſas, & difficiles incenduntur ſtudio gloriæ: conſueuit tamen dicere, gloriam à nemine fieri prædam, ſine magnanimitate. Eſt enim hæc vna virtus, ille apud Poetas, alatus equus, Pegaſus, quo vectus Bellerophon monſtra ſuperauit. Nihil eſt magnanimitatis vis, niſi, vt eſt in fabulis, ille Mineruæ Clypeus, Meduſæ Gorgonis capite præfixus, cuius ex intuitu homines omnes in ſaxa vertebantur. Tanta autem is floret virtute, vt in apparatu belli Ferrarienſis, cùm accepiſſet à Duce fortiſſimo numeroſiſſimum conflatum eſſe exercitum, magna dixit; animi moleſtia me Dux liberauit, qui vires ſuas omnes in vnum contraxit, vt liceat vno die, de ſumma rerum decernere.

QVOD PRÆMIORVM MAXIMVS ſit honor. XII.

EST honor non voluptatis, & luxuriæ diuerſorium: ſed ingenij, ac virtutum omnium domicilium. itaq; ſolet dicere aurum egeni: honorem boni viri eſſe præmium: tãtumq; honori aurum cedere, quantum virtus præſtat vtilitati. Quare Titus Labienus multum auri, ex præda Gallica cum donaſſet ſtrenuo militi: miles aurum, ad pedes labieni abiecit: at paulo deinceps idem, armillis argenteis donatus, alacer gaudio abijt: contempſit aurum miles, honores amplexus eſt. nec temerè. quia vel

minima

minima honoris aura, omni pretio eſt potior.

QVOD DVPLEX SIT HONORIS ratio. XIII.

NON debemus ſenſus, ad res inueſtigandas, ita ſtupidos habere, vt quæ ab ætatis noſtræ remota ſunt, nihil ſentiamus. Cuidam itaq; ſciſcitanti cur Honor olim Deus conſtitueretur: eiuſq; Ædes, ita virtutis templo eſſet annexa, vt ad eam nemini pateret aditus, niſi per virtutis templum. Eſt hæc fabrica dixit, non Numinis, ſed ingenij. oleret enim vim atq; naturam diuinæ, & humanæ virtutis, quarum ex altera Honor proficiſcitur diuinus: ex altera humanus. ille quaſi numen gaudet, in primis, animi religione: hic corporis magis obſequio.

QVOD VIR BONVS HONOREM auget, fugiendo. XIV.

AMAT defenſorem, non fæneratorem iuris: nec æqui, ſed lucri fædera anhelantes odit. Quocirca cuidam Magiſtratus dignitate elato dixit, neminem honorem gerere, niſi qui norit vitam, per virtutem, agere. Nec aculeata magis, quàm vera, in ambitioſum hæc eius eſt ſententia. Siquidem eſt viri boni, nihil aut præter virtutem appetere, aut præter vitium fugere. Nemo igitur debet honorem malis artibus aucupari, quem viri boni cenſentur augere fugiendo. Quare nemo, inter virtute pares, debet velle alios honore anteire. Vetus eſt, in Tripode Delphico, inter ſeptem totius Græciæ ſapientes, exemplum.

plum. Etenim ipſe cùm Apollo reſpondiſſet ei dandum eſſe, qui ſapientia cæteris præſtaret, nemo eorum inuentus eſt, qui honorem eum alteri potius, quàm ſibi non deferret. Turpe enim eſt inter pares, alijs velle gloria præcellere.

QVOD HONOR NON LANGVIDÆ, virtutis ſit interpres, & nuncius. XV.

NON ſunt hæc Apophthegmata, ancipites mentis eius notæ: Sed graues ſapientiſſimi eius conſilij diguitate corroboratæ ſententiæ. Interrogatus enim, quis ſibi inter bonos viros videretur honeſtandus: qui, vt eſt in prouerbio, dignus eſt, reſpondit, obeliſco. Erat autem Obeliſcus columna Pyramide minor, Soli ſacra: nec vlli erigebatur, apud Ægyptios, niſi ei, cuius vita, veluti ſolis quidam ſplendor omnibus poſſet prodeſſe.

QVOD IN SVBLATO ETIAM HONORE, veſtigia remaneant virtutis. XVI.

RATIO in re ancipiti, & dubia fidem: exempla cognitionem magis pariunt. interroganti igitur num is, cui ſit dignitas abrogata, affectus ſit ignominia. Neq; gloria reſpondit, ſed virtute paratur honor: neq; dedecus, fortuna, ſed animi infligit turpitudo. Teſtis eſt Democritus Phalereus. Nam ab Athenienſibus, quorum Remp. adminiſtrauerat, trecentis ſtatuis honeſtatus, neq; animo eſt elatus: neq; ijs per inuidiam euerſis, deiectus. quin illorum iniuriam hoc aſperſit ſale, ſtatuas dixit, euertunt: virtutes, quarum gratia illas erexerunt, non euertunt.

DE

DE FIDENTIA TITVLVS XVIII.

FIDENTIÆ magna eſt gloria: non exigua viri timidi infamia, cui, quæ bona facit, etiam ſunt dedecori. Nam quanquam peccatum non committit: cōſilium tamen peccandi ideo admittere videtur, quòd minimè vacaret peccato, ſi impunè poſſet peccare. Quocirca nemo eſt aut improbus niſi timidus, aut vir bonus niſi fidens. Timor enim non eſt periculi, ſed mentis morbus. Qui igitur mentem habet ſanam, non timet: qui verò animi morbo laborat, timet etiam ſine periculo. Cùm igitur ageretur de Cardinalis P. ALDOBRANDINI fidentia, quæ in rebus arduis & timēdi, & audiendi ars eſt, & ſcientia, MARIVS Conradus Opt. Senator virtutis eius gloriam ſuo nō ſolum corroborauit, ſed etiam auxit teſtimonio. Hic enim Pater conſcriptus cùm nullam, niſi ex virtute, rapiat anſam fidentiæ, tum quemadmodum Medicus Hippocrati. Iuſtiniano, I.C. ita ille non parum doctrinę: multum ingenio: omnia fidit Deo immortali. Præclarius certè quidem hic, quam olim antiquitas. Nam apud Romanos, vſus inoleuerat, vt Geniorum auſpicijs fiderent. vidimus enim paſſim inueterati numiſmatis inſcriptiones Genio Auguſti: Genio Senatus: Genio Populi Romani: cæterum in fidentia, nihil eſt melius, quàm prudentiæ, conſilioq; fidere. Hac animi confitione ſic ducitur P. ALDOBRANDINVS Cardinalis, vt ſemper eius conſilium vacet temeritate, & negligentia. Nihil enim eſt in fidentia temeritas, niſi Bruti malus Genius.

Genius. ſcribit autem Plutarchus Bruto ſecum de bello gerendo cogitanti, hominẽ eximiæ proceritatis apparuiſſe, eumq́; vbi Brutus interrogaſſet quis eſſet, reſpondiſſe Bruti ſe eſſe malum Genium, quem apud Philippos, in pugna viſurus eſſet, itaq; ille ab eo infauſtum rei euentum, & mortem ſibi imminentem didicit. Periculoſiſſimum eſt igitur in temeritate: tutiſſimum in prudentia ſpem poſitam habere, vt ipſa loquuntur hæc Apophthegmata.

1 *Quòd in Principe fidentiæ comes debeat eſſe conſilium.*
2 *Quòd in Bello victoriæ nuncia ſit fidentia.*
3 *Quòd Hoſti nihil ſit Horribilius, quàm Principis fidentia.*
4 *Quòd Res glorioſa ſit ſui fidentia.*
5 *Quòd non Arca: ſed fidentia homines deddat beatos.*
6 *Quòd Principem ſui fidentia Populo magis, quàm virium robur commendet.*
7 *Quòd Militis ornamentum non ſit in auro, ſed in fidentia poſitũ.*
8 *Quòd virtuti fidenti nihil ſit horribile.*
9 *Quòd ſine ſui fidentia nemo rem gerat præclaram.*
10 *Quòd cuiq; fidentiæ par ſit virtus.*
11 *Quòd fidentiæ procreatrix ſit intelligentia: temeritatis inſcitia.*
12 *Quòd quæ habetur pecunia confiſio anceps ſit, & dubia.*
13 *Quòd fidentia ſit virtute, non pecunia depaſcenda.*
14 *Quòd Pecunijs minimè ſit fidendum.*

QVOD IN PRINCIPE FIDENTIÆ *comens debeat eſſe alienum conſilium. I.*

NVNQVAM probatur aut leue, aut turgidum nimis genus dicendi: ſemper in Principe medium laudatur, & ad omnes res æquabiliter fluens, atq;

vt hoc loco, ſi in primis aſperſum ſit ingenij, & eruditionis ſale. interrogatus enim quid potiſſimum cauere deberet princeps; ne præ nimia ſui fiducia, reſpondit, alienum negligat conſilium. ita C. Cæſar ſua virtute fretus, eos neglexit, qui rogabant, vt ſibi ſalutis ſuæ cuſtodes aſciſceret. Sed exitus docuit, facilius eſſe morté præuideri, quàm morti prouideri. Sic pariter Alexander à Chaldæis, per Nearchum monitus eſt, ne ad Babylonem accederet: quòd immineret ei infelix exitus: at monita ſpernens, ad paucos dies, veneno ab Iola, in medio victoriarum curſu, ſublatus eſt, quartum & trigeſimum annum agens: robore corporis ſimul, & animi virtute florens.

QVOD IN BELLO, VICTORIÆ nuncia ſit fidentia. II.

QVEMADMODVM, in honoribus virtùs, ſine acie ingenij: ita in armis, rei bellicæ gloria, fidentiæ præſidio deſtituta, manca eſt omninò, atq; imperfecta. Solitus autem eſt dicere, fiduciam vincendi, in milite, principium eſſe victoriæ. Neq; enim mens hominis in rebus dubijs, ſuis de cœlo caret igniculis, qui illum, quo res vocat, quaſi inflammant, & incendunt. ita C. Cæſar, cùm Pharſalicæ pugnæ ſtaret acies, omniaq́; iam equorum, ac hominum ſtrepitu reſonarent, Craſtinum decem alarum ductorem, caſtra egredientem procul nomine compellans, interrogauit, quid de pugnæ euentu ſperaret, at ille dextram protendens, vinces ò Cæſar ait, & me hodie, aut viuum, aut mortuum laudabis: quorum vtrumq; verum extitit. Nam vicit Cæſar, & Craſtinum, qui fortiſſimè

mè pugnando occubuerat, pro concione laudauit.

QVOD HOSTI NIHIL SIT HORRIBILIVS, quàm Principis fidentia. III.

CVM iam, ad expugnandam Ferrariam, ipſa regio omnis bello arderet, Centurioni cuidam interroganti, quid Hoſtem maximè perterreret, fidentia dixit Imperatoris. ea enim non tam additur militibus, quàm adimitur hoſtibus animus. Sic Alexander Magnus Hoſtium fortunam fidentia; vires fortitudine ſuperare moliebatur. Quæ res ex voto ſic ei ceſſit, vt conſueuerit dicere, nihil fortibus inſuperabile eſſe: nihilq; timido ſatis eſſe munitum. Hac enim adiutus virtute, ſæpe ſuccumbentem in belli flamma exercitum erexit, ac Hoſtes victores profligauit.

QVOD RES GLORIOSA SIT, ſui fiducia. IV.

AD eum quoniam hæreditas virtutis huius pertinet, & gloriæ: interrogatus quanta cuiq; ſui deberet eſſe fidentia: quanta reſpondit à contemptu, & inſolentia ſe vendicare ſatis eſt. in hoc vno laudatur Euripides Tragicus. Nam cum ei Alceſtiris poeta tarditatem ingenij obijceret, quòd triduo non vltra tres verſus maximo labore deducere potuiſſet: ipſe autem centum perfacile ſcripſiſſe gloriaretur. Sed hoc dixit Euripides intereſt, quòd tui in triduum tantummodo: mei verò in omne tempus ſufficient.

QVOD

QVOD NON ARCA: SED FIDENTIA *homines reddat beatos.* V.

DICEBAT multo eſſe ditiorem, non inopem fidentiæ, quàm pecuniæ. vulgatum eſt Alexandri Magni teſtimonium. Etenim Antequàm in Aſiam tranſiret immunitates, opeſq; ingentes cunctis amicis in Macedonia donauit. At Perdicas admiratus dixit, quid tibi ò Rex omnia dando fiet reſidui: ſpem reſpondit, bona Perſarum admirabili fiducia oſtendens. Eam ſpe Macedones, vt cum Alexandro haberent communem, fiducia cõtenti, Alexandri renuerũt munera. Longè enim pluris eſt fidenti ſpes futurorũ bonorũ: quàm voluptatas exiſtentiũ.

QVOD PRINCIPEM SVI FIDENTIA *populo magis, quàm virium robur commendet.* VI.

QVEMADMODVM ex Amuſſi Architecti, ſic Sapientiſſimi quiq; viri, ex tanti Antiſtitis opinione ſtatim quid deceat, & dedecat, vbi rerum vrget difficultas, geſtiunt odorari. Interroganti igitur, quid Principem populo maximè commendaret: ſui potiſſimùm reſpondit fidentia. Teſtis vnus eſt inſtar omnium Antigonus Macedonũ Rex. Nam cùm ad regiam dignitatem recens aſcendiſſet, idq; grauatè ferret, ſtomachareturq; populus: ipſe virtute, & conſcientia fretus, in populi conſpectu diadema, ſceptrumq; depoſuit, atq; palam monuit, vt ſi alium quempiá ſe regno digniorem inuenirent, ad eum ex arbitrio, Diadema ſceptrumq; deferrent: commemoratis antè ijs rebus, quas magna virtute, & gloria geſſerat. Ita hac animi fidu-

cia, populi animum mouit, vt vltrò omnes ad capeſcendum denuo Regnum hortarentur: magniſq; precibus contenderent, quod ipſe conſtanter renuit, niſi antè de ſeditionis auctoribus ſupplicium ſumeretur.

QVOD MILITIS ORNAMENTVM non ſit in auro, ſed in Fidentia poſitum. VII.

CVM virtus multis ſemper incommodis ſit oppreſſa, ac temporum vitio exulcerata: hæc continenter à Principe tanquàm à ſapientiſſimo medico eſt curanda. Interrògatus igitur cùm militiæ multi croco, & auro diffluerent, quo ornamento maximè decoraretur miles, non purpuræ dixit, ſed fidentiæ. Laudatur itaq; quicunq; fuit, vir ille Lacedæmonius. Nam cùm in Clypeo pictam geſtaret muſcam: ſibiq; ab amicis diceretur, inſigne nimis paruum id eſſe, neq; ab hoſte viſum iri: reſpondit ſe ita hoſti appropinquaturum, vt muſcam non ſolum poſſet videre, ſed etiam odorari.

QVOD VIRTVTI FIDENTI, NIHIL ſit horribile. VIII.

FIDENTIA ingenij, & virtutis miniſtra, ſi pellitur à conſuetudine, locũ dare, & cedere ſolet ſocordiæ. Quare ſolitus eſt dicere & artem, & arcem boni militis vnam eſſe fidentiam, ad quam timori vix vllus datur acceſſus. Teſtes duo ſunt Lacedæmonij: quorũ um vnus increpatus, ꝙ in aciem claudus deſcenderet, reſpondit pugnare ſibi propoſitum eſſe, non fugere: alter minitanti cuidam, ꝙ ſagittis Perſarum ſol ipſe videretur obſcurari: addis dixit nobis animũ. Nam in vmbra, melius præliabimur.

QVOD

QVOD SINE SVI FIDENTIA, NEMO rem gerat præclaram. *IX.*

RES Bellica cùm limati, & ſubtilis: tum acerrimi eſt iudicij, Cuidam itaq; militum præfecto interroganti, quibus gradibus res militaris ad gloriam procederet, neq; hominis, neq; beſtiæ dixit, ſed fidentiæ, à qua ſi imperator cadit, à toto cadit exercitu. Ea igitur iure laudatur Scipio Æmilianus. Nam cùm vrbem præualidam obſideret, ſuadentibus quibuſdam, vt circa mœnia eius ferreos murices ſpargeret, omniaq́; vada tabulis plumbatis conſterneret, habentibus clauorum ſpicula, ne ſubita irruptione hoſtes in Scipionis præſidia impetum facere poſſent: reſpondit non eſſe eiuſdem imperatoris, & capere alios velle, & timere.

QVOD SVI CVIQVE FIDENTIA, par ſit virtuti. *X.*

QVONIAM ita natura comparatum eſt, vt optimus quiſq; imperet deteriori: cùm princeps imperat omnibus, par eſt item rationi dixit, vt omnium ſit optimus: Suiq; iccirco fidentiſſimus. præclarum eſt C. Fabricij teſtimonium. Nam cùm ab omni leuitate, & iactantia maximè eſſet alienus, quantam ſui haberet fidentiam oſtendit. is enim Legatus ad Pyrrhum miſſus cùm eſſet, rogatus eſt à Pyrrho, vt inter duces atq; amicos ſuos primum vellet occupare locum. At ille ei in aurem dixit, id ex re Pyrrhi Regis minimè fieri poſſe. quod vtroq; bene cognito, omnes à Pyrrho, ad C. Fabriciũ deficerent. Tantumq; hæc eius fiducia valuit, vt non modo Pyrrhus eam, quanquam aculeatam, non grauate tulerit, ſed etiam, vt veritatis nunciam probarit: illiq;

vni captiuos omnes quorum cauſa, legatus erat, dono dederit.

QVOD FIDENTIÆ PROCREATRIX ſit intelligentia: temeritatis inſcitia. XI.

CONSVEVIT dicere Herculis imaginem, apertam habere fidentiæ ſignificationem. Nam cùm ignorantiæ ſit, & improbitatis dubitare: ingenij eſt, & rectè voluntatis confidere. Rectè enim in eo quiſq; ſedit, quod benè intelligit. Naſcitur quippè fidentia ex conſilio, & ſcientia, vt ex inſcitia temeritas, & audacia. alterum apud Poetas docet Herculis gloria: alterũ Phætontis, & Icari infamia. vis quippè expers cõſilio ſua ruit mole.

QVOD QVÆ HABETVR PECVNIÆ confiſio, anceps ſit & dubia. XII.

QVONIAM nerui rerum agendarum ſunt pecuniæ, interrogatus quænam in rebus agendis, auro fidentia eſſet habenda: ea reſpondit, quam miniſtrat Ægyptijs ſua Regio. ſalsè id quidem. Nam Ægyptis cum hominum cõuenit ingenijs. Benè quippè vtentibus ſaluberrima medicamẽta præbet: malè vtentibus mortifera, & exitioſa venena. Nec ſapienti admodum ſunt neceſſariæ pecuniæ: primùm quia res grandes non auri, ſed ingenij fiunt præſidio: deinde quoniam, omnes vt aſſerunt ſtoici ſunt diuites, qui cœlo, & terra vti poſſunt.

QVOD FIDENTIA SIT VIRTVTE, non pecunia depaſcenda. XIII.

INQVIEBAT neq; florem, neq; colorem eorum vocibus adeſſe, qui aſſeuerant iccircò ſpem hominibus cum pecunia creſcere, quia omnia obe-

diunt

diunt pecuniæ. Non enim diues eſt, qui bona poſſidet: ſed qui bonus eſt. Nam diues dictus eſt, quaſi diuinus, quòd nihil egeat. Quare vt Hiſtrio non eſt felicior, quòd in ſcenis adornatus Rex, aut Deus videatur: ſic, neq; in bonis fortunæ, vir redditur bonus. Morum igitur probitas multò diuitijs eſt vtilior. illis enim ſæpe turpia: huic nunquam obediunt niſi honeſta. Quocirca iurè reprehenditur Epicharmus, qui inani hac opinione numos fecit deos: quòd illos, qui poſſiderent, nihil fruſtra cuperent.

QVOD PECVNIIS MINIME SIT fidendum. XIV.

QVANQVAM diſputantium laquei, pecunias videntur non in abiecto aliquo bonorum genere, irretire: pecuniæ tamen non ſunt, vt fert ſententia Lycurgi, bonæ. Nam diuites, vt ipſe ſentit, ſi opibus ſuis frui volunt, diffluunt voluptate: ſin cuſtodire ſtudent, coguntur per auaritiam, ab ipſa iuſtitiæ ſemita deflectere. Interroganti cuidam igitur, quibus rebus minimè eſſet fidendum, opibus dixit, quæ non ſolum videntur eſſe Ludibria fortunæ, ſed etiam ſui poſſeſſores ludibrio habere. Sed bona ſint, quid ijs bonis eſt fidendum, quæ vt ait Bion, fortuna largitur ignauis, & virtus aufert à bonis? inſidioſa res eſt diuiti pecunia: committitur enim cædes lucri gratia: expilantur templa: amicitia violatur: fides ſoluitur: produntur patriæ, ac deniq; nihil non mali perpatratur. Hoc animaduertens Lycurgus Spartanorum legislator monetam auream, & argenteam ex Lacedæmone ſubſtraxit, inſtituitq; vt ciues ferreo duntaxat numo vterentur.

DE PATIENTIA

TITVLVS XIX.

QVEMADMODVM Eſchines Philoſophus pro dolore lateris, è quo grauiter laborabat, nunquam ingemuit: ſemper rationis plagam, & virtutis vulnus grauiter, & acerbè tulit: ita Cardinalis P. ALDOBRANDINVS nunc faces dolorum reſtinxit patientia, nunc accendit virtute. Id cùm omnes audant vehementer, tum CÆSAR Galaratus Senator Grauiſſimus optimo cuiq; aſſerit eſſe imitandum. Non enim facit fortiter, qui rerum amat difficultatem: ſed qui, aut publicam acriter arcet, aut propriam non grauè ſuſtinet. Nemo quippè ad præclarum aliquod facinus adeò eſt Idoneus, quàm qui, ad rerum aſperitates occalluit patientia. Quid enim attinet, quod res eſt altè repetere? Eſt Tolerantia vehiculum, præſertim in bello, magni oneris: in pace, iuſtitiæ, & æquitatis: quam facile princeps deſerit, niſi in rerum aſperitatibus adſit patientia, hoc eſt ars patiendi & ſcientia. Eſt autem hæc principi neceſſaria. Nam qui dolores tam priuatos, quàm publicos neſcit perferre: mollis, & effeminatus: qui ferendo vincit, patiens rectè dicitur. Qui autem laborem deſerit: fugit quod cupit. Nam vt refert Epichurrus, laboribus omnia nobis Dij vendunt. qui autẽ impatiens eſt doloris, facit non ferendo, vt duplicem ferat dolorem. Non enim minus graue eſt dolori cedere, quàm ipſe dolor. Atq; contra quæ mala caueri non poſſunt, libenter ferendo, euadunt bona. quod gratia impetrari non poteſt, patientia quæri debet.

Nam cuiuſuis doloris remedium eſt patientia. qui igitur perferre nouit, vincit. Nunquàm eſt virtus patientia, in rebus proſperis. ille vero eſt patiens, qui in aduerſis conflictatur, nec tamen ab æquo, & bono poteſt amoueri. Nec minor interdum eſt victoria, mala ferendo vincere, quàm reſiſtẽdo. Hoc enim eſt fortunæ, illud magis virtutis. Magnum igitur eſt vindictæ genus: ignoſcere victo. quia bis eſt victus virtute ſimul, & armis. Puſillanimus contra eſt, qui non poteſt iniuriam pati: nec eſt vir bonus, qui malos non tolerat: nec fortis, qui ira deijcitur.

1 *Quòd Patientia in Bello, veluti quadam ſit, ad victoriam ſemita.*

2 *Quòd in patientiæ fundo, virtus omnis radices agat.*

3 *Quòd plus ſit in luctu, & mœrore mali, quàm in ipſo malo.*

4 *Quòd ſine patientia quis non ſolum malo, ſed etiam metu mali torqueatur.*

5 *Quòd viro etiam patienti, luctus pro amici interitu ſit honeſtus.*

6 *Quòd virtutes omnes vna pariat patientia.*

7 *Quòd Princeps patientiæ adminiculis maiora efficiat, quàm robore virium.*

8 *Quòd abundat etiam in paupertate, qui eſt patiens.*

9 *Quòd Patientia, ad felicitatem maximè pertineat, principis.*

10 *Quòd Patientia ſit armatura adamantina, quæ omnes reſpuit & ferri, & ignis impetus.*

11 *Quòd Principis patientia ſit, in populo obſequij diſciplina.*

12 *Quòd aduerſus oris procacitatem, non armatura proſit, ſed patientia.*

13 *Quòd Res ex difficillimis patientia reddantur facillimæ.*

14 *Quòd neq; Populus plurium dominium: neq; virtus otium nerit pati.*

15 *Quòd ſine Patientia, nemo non ſit miſer.*
16 *Quòd Libertatis decus ſit Patientia.*

QVOD PATIENTIA IN BELLO veluti quædam ſit ad victoriam ſemita. I.

QVONIAM non imperio ius: ſed imperium iuris nomine continetur, in iure ſuccus, & ſanguis eſt poſitus non ſolum imperandi, ſed etiam imperata, & in pace, & in bello faciendi. illud autem cùm appetant omnes: hoc nemo ferè non grauate ferat: quòd in altera multum ſit dignitatis: in altero plurimum oneris. Cuidam militi, qui impatiens erat obſequij, ſciſcitanti quænam via in bello tenderet ad victoriam: non qua ſulcatur æquor, aut tranſgrediuntur montium iuga reſpondit: ſed vna extat patientia, qua ſola omnes ſuperantur difficultates. Hac tantum virtutis ſemita Lacedæmonij, quamuis pauci, & inopes eſſent, Græcorum omnium euaſerunt fortiſſimi, & Spartæ maximum Imperium opulentiſſimaſq; vrbes, ac regiones ſubegerunt, quæ totius Laconicæ prouinciæ principatum tenebat.

QVOD IN PATIENTIÆ FVNDO, virtus omnis radices agat. II.

CVM Ars imperandi in virtute reſidet, tanquàm in ſua ſede, & fundamento, atq; ex arte, qui bonus eſt princeps, nouit non ſolum florem, ſed etiam fructum excerpere imperij: interrogatus

ab amicis, quo in campo, virtus maximè radices ageret, in fundo dixit patientiæ. Malus enim eſt virtutis miniſter, qui neſcit mala pati. id cùm intelligerent Spartani, non ſolum pueros algoris, ſitis, & inediæ reddebant patientes: ſed etiam in bello, ad vulnera aſſuetos vt haberent, nec mortem formidarent, vltrò plurimis plagis lacerabant: in quibus, pueris facilius erat mori, quàm ingemiſcere.

QVOD PLVS SIT IN LVCTV ET Mærore mali, quàm in ipſo malo. III.

VT res cum imbecillitate languet orationis: ſic rei dignitas cum verborum apparatu, & ſplendore doctrinæ, in ALDOBRANDINO efflo reſcit. Amico aliquando in luctu, & qualore iacenti dixit, omni malo fædius eſſe lugere. eò quòd illud maculam habeat fortunæ, hoc animi dedecus. itaq; in legibus decemuiralibus, quas duodecim tabulas appellant, non modo viris, ſed etiam mulieribus eiulatus, fletuſq; funebris prohibitus eſt. Nec eſt, ait, pro eius interitu, qui glorioſè vltimum vitæ ſuæ diem obierit, dolendum. Laudant igitur veteres Lacænam illam, quæ cùm accepiſſet filium ſuum in prælio dimicantem cecidiſſe, ne ingemuit quidem, ſed Dijs ſe gratiam habere dixit, quòd eum filium peperiſſet, qui pro patriæ ſalute mori non dubitaſſet.

QVOD SINE PATIENTIA QVIS non ſolum malo, ſed etiam metu mali torqueatur. IV.

QVIA non regit, qui errantes non corrigit, quando nihil ſit regere, niſi opus iuſtitiæ, regia ars eſt, qua vniuerſi homines, ad virtutem informantur, & à vitiorum turpitudine procul pelluntur. interrogatus igitur, à quodam, qui in armis, impatiens erat periculi, vbi eſſet hoſtis: timidis, reſpondit, in animo. ſalſè quidem. Nam metus, in armis, omni hoſte eſt capitalior. Terror igitur dictus eſt, quaſi ter error, eò quòd vir timitus mente ab honeſto: corpore ab incolumitate, ac deniq; ab opibus fortuna procul aberret.

QVOD VIRO ETIAM PATIENTI luctus, pro amici interitu, ſit honeſtus. V.

CVM patientia virtus ſit viri, ab amicis interrogatus, vbi luctus viri, nihil, quod effæminati eſt animi, oleret, vbi reſpondit, mors eſt amici. Amicus enim amici difficilius fert caſum, quàm proprium. itaq; Alexander Magnus à virtutis magnitudine ſic appellatus, pro morte Hephæſtionis amici, non ſe ſolum ſordidatum, ac luctuoſum monſtrauit: ſed etiam equorum iubas tonderi, ad cutem vſque iuſſit, & turrium pinnas, ac murorum propugnacula exturbari, vt mænia etiam ipſa deſiderio Hephæſtionis lugere viderentur.

QVOD VIRTVTES OMNES VNA pariat patientia. VI.

DEVS cùm omnia regat, qui regit, dei perſonam induit: cui omnes debent velle parere. Sed quoniam verbum pareo, quaſi à patiendo dictum eſt, nemo, niſi qui ſit patiens, videtur ad virtutem eſſe accomodatus. Interroganti igitur vbi haberetur optima virtutis ſchola: in patientiæ dixit regione. Hoc ipſum ſentientes Gymnoſophiſtæ, Indi ſapientes, ſummam laudem ponebant in patientia, & in doloris contemptu. Nudi igitur per niuem, & glaciem Caucaſi montis errabant, nec cùm ad ignem acceſſiſſent, ingemiſcebant.

QVOD PRINCEPS PATIENTIÆ adminiculis, maiora efficiat, quàm robore virium. VII.

CVM virtutis laus, in Principe ſæpe ex ſiccitate orationis exareſcat, tùm nullius de eius dignitate oratio magis, quàm ALDOBRANDINI vbertate irriganda eſt. Nam cùm duplex ſit Principis officium: vnum in vitiorum ſordibus, ex hominum ſocietate abſtergendis: alterum, vt omne ſtudium eorum ad virtutem acre ſit, & expeditum: vtrumq; ſemper plurimo ſtudio anhelauit ALDOBRANDINVS, qui aliquando interrogatus, quibus adminiculis tot, tantas, tamq; arduas res geſſiſſet, patientiæ reſpondit. Hac enim Princeps res grandiores ſuſtinet, quàm potentia, & viribus: tum quia verſatur circa dura, & acerba, quæ ferendo magis ſuperantur, quàm renitendo: tum quoniam homo, vt refert Xenophon Socraticus, omnium animantium, in rectorem ſuum eſt ingratiſſimus.

QVOD ABVNDAT ETIAM IN *paupertate, qui eſt patiens.* VIII.

NEQ; Gregis ſine paſtore: neq; populi ſine Principe, vlla eſt vtilitas. Solus enim princeps, virtutem cùm miniſtrat, ſufficit omnibus. Semper igitur inquiebat, in paupertate abundat, qui eſt patiens. Neſcit enim vir bonus, qui nihil appetit, egere. Hoc ſentiens Socrates dicebat gratiam eſſe habendam naturæ, quæ res bonis viris neceſſarias, vltro expoſuiſſet: difficiles verò, ne paratu quidem eſſe neceſſarias, Quare diues eſt, non qui affluit pecunia, ſed patientia.

QVOD PATIENTIA, AD FELICI- *tatem maximè pertineat Principis.* IX.

QVEMADMODVM ſi Plantæ radices, odoris aliquo inficiuntur genere, qui ab ijs gignuntur flores non vacant odoris eius vel grauitate, vel ſuauitate: ita qui mos eſt Principis latenter repit per vniuerſum corpus populi. Pacientem igitur populum, ex tolerantia conſtituebat Principis, dicebatq; Principem præter eum felicem eſſe neminem, cuius animus aduerſus mala omnia, obduruiſſet patientia. eò quòd ſicut in Boetia, ad Trophonium, iuxta flumen Orchomenon, duo ſunt fontes, quorum alter memoriam: alter obliuionem affert potantibus: ita ferè in Imperio ſine laboribus, & vigilijs, magnæ felicitati, magna pericula ſunt finitima.

QVOD

QVOD PATIENTIA SIT ARMATVRA adamantina, qua omnes reſpuit & ferri, & ignis impetus. X.

FLOS virtutis, & firmamentum gloriæ, vna eſt, dicebat, patientia. Nam patientiam qui tollit, maximum animi munimentum tollere videtur. patet id cùm multorum virorũ teſtimonijs, tùm vno potiſſimum Anaxarchi exemplo. Nam quorſum, quòd hic malleis in doleo cõtuſus, potius in dolore exilijt, quàm ingemuit? non eſt obſcura ratio. Dolor enim ſuccumbit patientiæ: non patientia dolori. Hoc ſentientes Ægyptiorum Sacerdotes, Hieroglyphicum pacientiæ fecerunt tergus Crocodili. Nec falsò quidem. Nam ſicuti id, ea obrigere ſolet duricia, vt omnes ferreos reſpuat ictus: ita patiens poteſt laceſſi iniuria, lædi verò minimè poteſt.

QVOD PRINCIPIS PATIENTIA ſit, in populo obſequij diſciplina: XI.

PRINCEPS iuſtitiæ, & legibus nõ obtemperans docet imperando, ſibi non eſſe obtemperandum. Siquidem, dicebat non eſſe veriſſimile, vt quis alteri onus imponeret, quod ipſe non ſuſtineret. Quare nihil eſt ad imperij auctoritatẽ, in Principe firmius: quàm diuturna in iure, obſequij patientia. Multa ſunt veterũ teſtimonia, ſed nulla probationis arx eſt firmior, quàm quæ naturæ exemplis ſtipata, ſeptaq; tenetur. Sicuti enim arbor, ſuber difficile recipit vulnus, & ſi recipit lucro habet, quia arbor ea præter aliorum naturam, niſi lanietur, ſuo ſuffocatur cortice: ita vir patiens, vbi alij flacceſcunt, alacritate reuireſcit, & robore.

QVOD

QVOD ADVERSVS ORIS PROCACItatem, non armatura proſit: ſed patientia. XII.

NIHIL eſt in bonis melius, quàm quod principi debetur. Nam à Principe non ſolum communis vitæ, ſed etiam virtutis recunditæ, & doctrinæ manant ſumma auxilia. Itaq; olim ſapientiſſimi quiq; viri non ante, libros ſuos in lucem edebant, quàm illos Principis nomini, vt eò virtus omnis rediret, vnde digreſſa eſſet, conſecrarent. Res eſt ex Antiſtitis inſtructione, & diſciplina in aperto. cùm enim in populi turba, pauci benè ſentiant: multi peierent: omnes verò malè loquantur, interrogatus quæ aduerſus petulantiæ, & procacitatis morſus eſſet armatura: non lorica, aut thorax dixit, ſed patientia. Nam cùm non fiat niſi nolenti iniuria, qui non ægre fert iniuriam, vim omnem retundit iniuriæ. Demoſthenes itaq; à quodam conuicijs laceſſitus, nolim tecum dixit in hoc genus Certaminis deſcendere, in quo qui vincitur ipſo victore eſt melior. is enim demum inter mortales eſt teterrimus, qui peſſimè loquitur.

QVOD RES, EX DIFFICILLIMIS, pacientia reddantur facillima. XIII.

PRÆCLARVM obſequij, quod ALDOBRANDINO debetur, teſtimonium: non molle, & remiſſum amoris, familiares eius, vt oſtenderent, ab eo aliquando percontati ſunt, cuius ope adiutus tot res, tam graues, & acerbas ſuſtineret: patientiæ reſpondit. Nam patiendi virtus hæc eſt, vt difficillima

lima quæq; ex diuturna conſuetudine, reddantur facillima. ita Socrates Alcibiadi miranti, quòd Xantippen ad res omnes acrem, & acerbam, quæ nunquàm in virum dentes non exacuret, pateretur, ego inquit iampridem eius iurgijs ſic aſſueui, vt ipſa iam callum obduxerit meo ſtomaho.

QVOD NEQVE POPVLVS PLVRIVM dominium: neq; virtus otium norit pati. XIV.

CVM plures eundem Imperij clauum tractare contenderent, dixit neq; populum plurium dominium: neq; aſpirantem ad virtutem ſcire otium pati. alterum Lydorum Rex Cræſus ſua interdum docuit ſtultitia. Nam cùm fratrem imperandi ſibi aſciſceret ſocium, tum quidam ex lydis, ò Rex inquit, omnium in terra bonorum Sol eſt auctor: at ſi gemini ſoles forent, periculum eſſet, ne omnia incenderentur: ita regem quidem vnum accipiunt Lydi: duos ſimul tolerare non poſſunt. in altero teſtis eſt ipſe Antiſtes. Nam interrogatus ab ambitioſis quibuſdam cuius ope pararetur imperandi ſapientia, non dignitatis dixit, ſed temporis, & ſtudij. Non enim vt Cæneus, qui ſubito e muliere factus eſt vir, optando tantum: ſic repentè qui ſtultus abit cubitum, ſurgit ſapiens.

QVOD SINE PATIENTIA, NEMO non ſit miſer. XV.

CVM conſpiceret plurimis calamitatibus obiectam eſſe mortalium vitam, multiq; ob id, grauiter in dies ingemiſcerent: dixit non eos eſſe miſeros, qui

in dolorem inciderent, ſed eos qui patientes non eſſent doloris. neq; enim patiens eſt ſine dolore: neq; vir bonus ſine patientia. Zaleucus igitur fratri in malis quærenti: non quæreris dixit, propter acerbitatem malorum: Sed quia ipſa mala neſcis pati. Elegans hûc pertinet Apologus. Cùm enim in Comitijs animantium Aſinus expoſtularet, quòd careret cornibus: ingemuit item Simia, eò quòd caudæ deſtitueretur honore: at Talpa vtrumq; felicem eſſe dixit, ſe autem tantum eſſe infelicem, quando perpetua præmeretur cæcitate. quorſum? nemo, ſi benè attendimus, eſt tam felix, qui ſine patientia, nō ſibi videatur deteriori, quàm par eſt, eſſe cōditione.

QVOD LIBERTATIS DECVS, SIT patientia. XVI.

QVIA nuda, & enermis eſt ratio, ſine doctrinæ præſidio, Antiſtitis doctrinam cùm paſſim, tùm hoc loco, fas eſt carpere, & colligere. differentibus enim quibuſdam de populi libertate, dixit neminem præter patientem eſſe liberum, eò quòd ſolus is non poſſet cogi. docit idipſum olim apud Romanos Pompei virtus. Hic enim legationis officio cùm fungeretur, à Genthio Rege interceptus eſt, vt Senatus conſilia prodere iuberetur; at ille conſtanti fide, fortiq; animo, admotæ lucernæ cremandum digitum præbuit, eaq; patientia non ſolùm Regi deſperationem tormentis quicquam ex ſe cognoſcendi attulit, ſed etiam poſteris vniuerſis teſtatum reliquit, eùm non poſſe cogi, qui nouit dolorem pati.

DE SOLERTIA TITVLVS XX.

Q VANQVAM Populus Romanus ita olim, & lumem, & oculos amauit intuentium, vt neq; ante ſolis ortum, neq; poſt occaſum, voluerit Senatuſcōſulta eſſe rata: ita tamen ſolertiæ exarſit amore, vt cùm Dies labori ſit Sacer, nox quieti, diem voluerit à media nocte, præter Græcorum, & Ægyptiorum conſuetudinem, initium trahere. id autem eò pertinere volebant, vt omnes intelligerent, noctem nullam neq; labore neq; ſtudio, cuiquàm debere eſſe vacuam. Quoniam aūt difficillimæ quæq; res, ſolertiæ curantur præſidio: Ægyptij Hieroglyphiū Regis, qui verſatur circa difficillima, fecerunt Draconem, qui inter omnes animantes, ſolus adeò ſomni eſt inimicus, vt eum nemo adhuc viderit dormientem. Tam ſolers aūt, & Diligens, eſt P. ALDOBRANDINVS, vt apud eum nulla ſedes ſit, niſi in labore, quietis. in quo quanta ſit Rom. Eccleſiæ felicitas, ex eo liquet, quòd longè res eſt capitalior principi cum otio, quàm cum hoſte. Nam cur Naſica, in Conſilio de Carthaginis euerſione, magis probabat Carthaginenſium aduerſus Romanos diſcrimen, quàm Carthaginis euerſionem? quia res ſecundæ ex otio infelicem: aduerſæ felicem, ex ſtudio habent exitum. virtus enim diligentia: inertia vitium omne nutritur. Nam cur Homerus Agamemnonem, cùm cæteri dormiant, ſemper facit vigilantem? quoniam otiari neſcit virtus, quæ omnis in actione conſiſtit. Sed quid ego hæc? vicit is ſummus Antiſtes

S ſtudio,

ſtudio, & ſolertia Scipionem Africanum, qui ſolitus eſt dicere ſe nunquàm minus eſſe ſolum, quam cùm eſſet ſolus, nec minus otioſum, quàm cum eſſet otioſus. In quo amo Sapientiſſimi Senatoris FRANCISCI Gluſſiani teſtimonium. Nam cùm Senatores olim iccirco Patres conſcripti ſunt nominati, quòd eorum nomina, in Diademate eſſent inſcripta, quaſi eadem ſit, & Regis, & Senatoris cura: tùm in eo Senatore, tantum eſt ſolertiæ, & ſtudij, vt Gluſſianus maiori quàm Atea Rex dignus videatur laude, & gloria. Ille enim quanquam terrori erat PHILIPPO, quòd Philippus Macedonibus tantum imperaret hominibus pugnandi peritis: is verò Scythis, qui etiam aduerſus famem, ſitimq́; pugnare norant, obdormiuit tamen aliquando tempori: Gluſſianus autem tanto continenter publicæ vtilitatis efferueſcit ſtudio, vt nunquam videatur, niſi in plurimarum rerum aſperitatibus quieſcere. Nam quid de Senatu dicerem vrbis Mediolani? nullam admittit ſolertiam ſine fide, & prudentia. illa, vt ſemper appetat quæ honeſta ſunt, declinet contraria: hac, vt quæ vtilia ſunt cæteris, curet & perficiat. Atq; ſicuti Ægypti Reges, neminem ex ijs hominibus, quorum vtebantur opera, admittebant, niſi qui liberali eſſet forma, & virtute inſignis: ita ad incredibilem Senatus Mediolani gloriam, hoc accedit etiam, quòd nullos habet ſui adminiſtratores, niſi quorum ars, ſummæ ſapientiæ miniſtra ſit, & famula. Teſtis eſt vnus pro omnibus IO. FRANCISCVS Landrianus, à ſecretis, qui in ſcriptis dictiſq; Lyram extorſit Apollini, & ita extorſit, vt ex eius concentu videatur, vel Landrianus ex Apolline natus, vel ex Landriano reuiuiſcere iam ipſe Apollo. Nam ex ſoluta & libera eius oratione, duplex percipitur fructus, vnus artis & ingenij: alter virtutis, & doctrinæ, quorum vterq; eſt eiuſmodi, vt haud ſciam an quic-

quam

quam viro docto poſſit accidere laudabilius. facundia enim niſi rerum cognitionem attingat, verborum quædam eſt inanitas: Rerum vero cognitio, ſine facundiæ præſidio, infantia potius, quàm doctrina. Sed quò mea me abducit oratio? Quot in Senatu Mediolani, ſunt virtutum opifices, & Architecti: tot ſunt ſolertiæ, qua rerum Aſperitates, atq; temporum anguſtias omnes Cardinalis PETRVS ALDOBRANDINVS ſuperat, aperti, & expediti obſides.

1 *Quòd Imperatoriæ artis difficultas, nihil ferat vacui temporis.*
2 *Quòd Ingenij eos, & doctrinæ procreatrix ſit ſolertia.*
3 *Quòd nulla ſit imperandi tutior via, quàm animi ſolertia.*
4 *Quòd ſtudio, & ſolertia, ſuperetur hominis vis & natura.*
5 *Quòd in Diligentiæ tutela, omnia bonorum genera ſint poſita.*
6 *Quòd Principi ſolerti, non ſit properandum, ſed maturandum.*
7 *Quòd Acres ſint in honore, ad res arduas, ſolertiæ ſtimuli.*

QVOD IMPERATORIÆ ARTIS difficultas, nihil ferat vacui temporis. I.

QVANTI ſint neruorum, ac laborum fructus, ij omnes niſi ſolers, & diligens adhibeatur ratio, iniuria ſæpè abſorbentur temporum. Sciſcitantibus igitur amicis, quis in diſcrimine rerum, Princeps abundaret auxilio: qui inops eſt otij dixit. docuit id C. Cæſar, cui, in vita, nulla hora fuit labore, & ſtudio vacua, quiq; adeò tenax, & auarus fuit temporis, vt quemadmodum Oppius meminit, duobus pluribuſue ſcribis plerumque epiſtolas alieniſſimi argumenti, eodem tempore dictitaret. Nam ſemper inops eſt otij, qui neſcit otio vti.

QVOD INGENII, COS ET DOCTRINÆ procreatrix ſit ſolertia. II.

CVM minutis, & anguſtis quæſtiunculis aliquando ageretur de re literaria, nonnulliq;, in noſtris hominibus deſiderium priſcæ eruditionis refricarent, dixit non doctrinam, ſed docendi artem, hac noſtra ætate deeſſe: at qua dixerunt: qua Demoſthenes reſpondit ex infantiſſimo, factus eſt oratorū omnium eloquentiſſimus, quo reſponſo ſolertiam potiſſimum fecit ingenij, & doctrinæ magiſtram, atq; dominam. Nam Demoſthenes, vt refert Cic. eo exarſit ardore ſtudij, vt iniquo animo ferret, ſi quando opificum antelucana vinceretur induſtria. Hic etſi omnia, ad doctrinæ, & eloquentiæ laudem, habebat impedimenta naturæ: labore tamen, & ſtudio tantum effecit, vt doctiſſimos, ac eloquentiſſimos quoſq; longo interuallo poſt ſe reliquerit.

QVOD NVLLA SIT IMPERANDI tutior via, quàm animi ſolertia. III.

NON imperandi via ſolum eſt ſolertia, ſed etiam imperantis ad ſumma quæq; vehiculum. Sciſcitantibus igitur amicis, quibus gradibus, in imperio, ex rebus paruis, ad magnas fieret aſcenſus: non dignitatis dixit, ſed Solertiæ. Nam magnæ res labuntur ignauia: paruæ creſcunt ſolertia. idipſum vt doceret Agathocles ex figulo patre natus, cum Sicilia potitus eſſet, Rexq́; declaratus, ſolitus eſt in menſa fictilia pocula iuxta aurea ponere, eaq; iuuenibus oſtendens dicere fictilia, propter ſolertiam, aureis facta eſſe potiora.

QVOD

QVOD STVDIO, ET SOLERTIA ſuperetur hominis vis, & natura. *IV.*

SOLERTISSIMVS quiſq; princeps peſſimè ſæpè audit. Nam virtuti ſimul, & otio vulgi difficillimum eſt morigerari. dicebat tamen ex diuturna laboris conſuetudine; & ingenio acumen, & corpori robur miniſtrari. illud probatur Alcibiadis teſtimonio, qui ex ſtudiorum aſſiduitate, ſtatim quæ minus expreſſa erant, percipiebat, & quæ callidè verſutèq́; dicebantur cauebat: hoc admirabili quodam eluceſcit Anus cuiuſdam exemplo. Nam cum conſueuiſſet paruum vitulum, quotidie portare, nec ab incepto, vllum diem intermiſiſſet, tandem adultum quoq; bouem dicitur portaſſe.

QVOD IN DILIGENTIÆ TVTELA omnia bonorum genera ſint poſita. *V.*

QVEMADMODVM terra ab Homero mater, Oceanus externorum bonorum pater vocatur: ita diligentia à tali, tantoq́; Antiſtite, eorum, quæ diliguntur magiſtra, & domina eſt nominata. Etenim neq; vtile, neq; honeſtum quod eſt, poteſt niſi in diligentiæ fundo ſuccreſcere. Nã quod conſueuit Antiſthenes diſcipulis, antè quàm ad ſe eos admitteret, dicere, opus eſſe libro nouo: ſtylo nouo: nouaq́; tabella, res eſt plena ſtudij, & ſolertiæ, ſine qua ſumma eſt bonorum omnium deſperatio. Nam ad ea non ſolum comparanda, ſed etiam conſeruanda animus requiritur vigilans: ſtudium acre, & tenax memoria.

QVOD PRINCIPI SOLERTI NON ſit properandum: ſed lente maturandum. VI.

QVEMADMODVM ex ſolis acceſſu, & receſſu, quæ è terris gignuntur omnia aut meliora, autem deteriora fiunt: ita, ex principis diligentia, & negligentia, vniuerſa vel pelluntur, vel acceſſuntur Reip. mala. Solet igitur dicere nihil eſſe ſolerti Principe glorioſius, ſi in armis præſertim, non properet: ſed maturet. vincit enim, non qui celeriter ferit: ſed qui ſuo ferit tempore. Præclarum eſt in Rhombo naturæ teſtimonium. Nam cùm Rhombus tardiſſimus ſit omnium piſcium, ſemper tamen eius in vtero mugil reperitur, qui piſcium omnium eſt velociſſimus, ex quo intelligimus, non eſſe ſapientis accelerare, ſed lentè maturare, ſemperq; cito ſatis fieri, quod benè fit: neq; res magnas corporis, ſed ingenij adminiſtrari viribus.

QVOD ACRES SINT IN HONORE, ad res arduas ſolertiæ ſtimuli. VII.

CVM trita ſit Apophthegmatum, & peruagata ad veritatem via: qui tanti Præſulis Apophthegmata negligit, is non adeò videtur illa negligere, quàm qui breues ſunt, & compendiarij tramites, refugere veritatis. Cùm autem res amicis plurimum faceſceret negotij, nec onus ſatis ſuſtinerent, interroganti cuidam, cuius preſidio tanta rei difficultas redderetur facilis: honoris dixit. Nec falſo. Nam res omnes, propter honorem ex difficillimis, redduntur facillimæ. itaq; Scipio Aphricanus ſolet ex Xenophontis libro, de Cyri inſtitutione, fortes laudare: non vt hoc faceret, ſed vt viris, eos laudando, vires adderet. Siquidem neq; Imperatori, neq; militi labores ij videntur graues, quibus vehuntur ad honores.

DE PERSEVERANTIA SIVE CONSTANTIA TITVLVS XXI.

EST Perſeuerantia fida patientiæ comes, & in rebus aduerſis perferendis, adiutrix. Nec vl-la eſt certior ad finem vſq; perſeuerandi ratio, quàm viribus æquare onus, vt quiſq; non quantum ferre poteſt, ſumat: ſed perferre. Hæ ſunt in Principe columnæ Herculis. Quia firmi, ac fortis eſt animi, ſummam conſeruare virtutem, quam ſemel amplexus fuerit: optima autem perſeuerandi ratio eſt, non ſolum non retrocedere: ſed etiam in dies vlterius progredi, & quantum poſſumus, ſemper ad ſublimiora tendere. Quod grande eſt opus, tarde eſt aggrediendum: deinde perſeueranter progrediendum. Cæpiſſe quippe, eſt multorum: perficere paucorum. alterum enim eſt conſilij: alterum laboris. Nec enim qui pugnat, ſine perſeueratione, victoriā conſequitur: nec virtus ſine, perſeuerantia perficitur. dicitur perſeuerans, quaſi ſemper ſequens verū: Eò quòd nulla gratia, nullis illecebris nulloq; terrore ſit mutabilis. Hac in virtute, vt ALDOBRANDINORVM iam exempla præteream, habet etiam temporum antiquitas ſua monimenta gloriæ. Nam ea ſic floruit Ariſtides, vt ab eo filiam, in matrimonium cùm peteret Dionyſius, reſponderit filiam ſuam eiuſmodi eſſe educatam, vt mallet mori, quam tyranno in vxorem dari. Eam igitur cum de medio ſuſtuliſſet, quæreretq; Tyrannus iterum ab Ariſtide num etiam in

QVOD SINE PATIENTIA QVIS non ſolum malo, ſed etiam metu mali torqueatur. IV.

QVIA non regit, qui errantes non corrigit, quando nihil ſit regere, niſi opus iuſtitiæ, regia ars eſt, qua vniuerſi homines, ad virtutem informantur, & à vitiorum turpitudine procul pelluntur. interrogatus igitur, à quodam, qui in armis, impatiens erat periculi, vbi eſſet hoſtis: timidis, reſpondit, in animo. ſalſè quidem. Nam metus, in armis, omni hoſte eſt capitalior. Terror igitur dictus eſt, quaſi ter error, eò quòd vir timitus mente ab honeſto: corpore ab incolumitate, ac deniq; ab opibus fortuna procul aberret.

QVOD VIRO ETIAM PATIENTI luctus, pro amici interitu, ſit honeſtus. V.

CVM patientia virtus ſit viri, ab amicis interrogatus, vbi luctus viri, nihil, quod effæminati eſt animi, oleret, vbi reſpondit, mors eſt amici. Amicus enim amici difficilius fert caſum, quàm proprium. itaq; Alexander Magnus à virtutis magnitudine ſic appellatus, pro morte Hephæſtionis amici, non ſe ſolum ſordidatum, ac luctuoſum monſtrauit: ſed etiam equorum iubas tonderi, ad cutem vſque iuſſit, & turrium pinnas, ac murorum propugnacula exturbari, vt mænia etiam ipſa deſiderio Hephæſtionis lugere viderentur.

QVOD VIRTVTES OMNES VNA pariat patientia. VI.

DEVS cùm omnia regat, qui regit, dei perſonam induit: cui omnes debent velle parere. Sed quoniam verbum pareo, quaſi à patiendo dictum eſt, nemo, niſi qui ſit patiens, videtur ad virtutem eſſe accomodatus. Interroganti igitur vbi haberetur optima virtutis ſchola: in patientiæ dixit regione. Hoc ipſum ſentientes Gymnoſophiſtæ, Indi ſapientes, ſummam laudem ponebant in patientia, & in doloris contemptu. Nudi igitur per niuem, & glaciem Caucaſi montis errabant, nec cùm ad ignem acceſſiſſent, ingemiſcebant.

QVOD PRINCEPS PATIENTIÆ adminiculis, maiora efficiat, quàm robore virium. VII.

CVM virtutis laus, in Principe ſæpe ex ſiccitate orationis exareſcat, tùm nullius de eius dignitate oratio magis, quàm ALDOBRANDINI vbertate irriganda eſt. Nam cùm duplex ſit Principis officium: vnum in vitiorum ſordibus, ex hominum ſocietate abſtergendis: alterum, vt omne ſtudium eorum ad virtutem acre ſit, & expeditum: vtrumq; ſemper plurimo ſtudio anhelauit ALDOBRANDINVS, qui aliquando interrogatus, quibus adminiculis tot, tantas, tamq; arduas res geſſiſſet, patientiæ reſpondit. Hac enim Princeps res grandiores ſuſtinet, quàm potentia, & viribus: tum quia verſatur circa dura, & acerba, quæ ferendo magis ſuperantur, quàm renitendo: tum quoniam homo, vt refert Xenophon Socraticus, omnium animantium, in rectorem ſuum eſt ingratiſſimus.

QVOD

QVOD ABVNDAT ETIAM IN paupertate, qui eſt patiens. VIII.

NEQ; Gregis ſine paſtore: neq; populi ſine Principe, vlla eſt vtilitas. Solus enim princeps, virtutem cùm miniſtrat, ſufficit omnibus. Semper igitur inquiebat, in paupertate abundat, qui eſt patiens. Neſcit enim vir bonus, qui nihil appetit, egere. Hoc ſentiens Socrates dicebat gratiam eſſe habendam naturæ, quæ res bonis viris neceſſarias, vltro expoſuiſſet: difficiles verò, ne paratu quidem eſſe neceſſarias. Quare diues eſt, non qui affluit pecunia, ſed patientia.

QVOD PATIENTIA, AD FELICItatem maximè pertineat Principis. IX.

QVEMADMODVM ſi Plantæ radices, odoris aliquo inficiuntur genere, qui ab ijs gignuntur flores non vacant odoris eius vel grauitate, vel ſuauitate: ita qui mos eſt Principis latenter repit per vniuerſum corpus populi. Patientem igitur populum, ex tolerantia conſtituebat Principis, dicebatq; Principem præter eum felicem eſſe neminem, cuius animus aduerſus mala omnia, obduruiſſet patientia. eò quòd ſicut in Boetia, ad Trophonium, iuxta flumen Orchomenon, duo ſunt fontes, quorum alter memoriam: alter obliuionem affert potantibus: ita ferè in Imperio ſine laboribus, & vigilijs, magnæ felicitati, magna pericula ſunt finitima.

QVOD PATIENTIA SIT ARMATVRA adamantina, qua omnes reſpuit & ferri, & ignis impetus. X.

FLOS virtutis, & firmamentum gloriæ, vna eſt, dicebat, patientia. Nam patientiam qui tollit, maximum animi munimentum tollere videtur. patet id cùm multorum virorũ teſtimonijs, tùm vno potiſſimum Anaxarchi exemplo. Nam quorſum, quòd hic malleis in doleo cõtuſus, potius in dolore exilijt, quàm ingemuit? non eſt obſcura ratio. Dolor enim ſuccumbit patientiæ: non patientia dolori. Hoc ſentientes Ægyptiorum Sacerdotes, Hieroglyphicum patientiæ fecerunt tergus Crocodili. Nec falsò quidem. Nam ſicuti id, ea obrigere ſolet duricia, vt omnes ferreos reſpuat ictus: ita patiens poteſt laceſſi iniuria, lædi verò minimè poteſt.

QVOD PRINCIPIS PATIENTIA ſit, in populo obſequij diſciplina. XI.

PRINCEPS iuſtitiæ, & legibus nõ obtemperans docet imperando, ſibi non eſſe obtemperandum. Siquidem, dicebat non eſſe veriſſimile, vt quis alteri onus imponeret, quod ipſe non ſuſtineret. Quare nihil eſt ad imperij auctoritatẽ, in Principe firmius: quàm diuturna in iure, obſequij patientia. Multa ſunt veterũ teſtimonia, ſed nulla probationis arx eſt firmior, quàm quæ naturæ exemplis ſtipata, ſeptaq; tenetur. Sicuti enim arbor, ſuber difficile recipit vulnus, & ſi recipit lucro habet, quia arbor ea præter aliorum naturam, niſi lanietur, ſuo ſuffocatur cortice: ita vir patiens, vbi alij flacceſcunt, alacritate reuiteſcit, & robore.

QVOD

QVOD ADVERSVS ORIS PROCACItatem, non armatura proſit: ſed patientia. XII.

NIHIL eſt in bonis melius, quàm quod principi debetur. Nam à Principe non ſolum communis vitæ, ſed etiam virtutis recunditæ, & doctrinæ manant ſumma auxilia. Itaq; olim ſapientiſſimi quiq; viri non ante, libros ſuos in lucem edebant, quàm illos Principis nomini, vt eò virtus omnis rediret, vnde digreſſa eſſet, conſecrarent. Res eſt ex Antiſtitis inſtructione, & diſciplina in aperto. cùm enim in populi turba, pauci benè ſentiant: multi peierent: omnes verò malè loquantur, interrogatus quæ aduerſus petulantiæ, & procacitatis morſus eſſet armatura: non lorica, aut thorax dixit, ſed patientia. Nam cùm non fiat niſi nolenti iniuria, qui non ægre fert iniuriam, vim omnem retundit iniuriæ. Demoſthenes itaq; à quodam conuicijs laceſſitus, nolim tecum dixit in hoc genus Certaminis deſcendere, in quo qui vincitur ipſo victore eſt melior. is enim demum inter mortales eſt teterrimus, qui peſſimè loquitur.

QVOD RES, EX DIFFICILLIMIS, pacientia reddantur facillima. XIII.

PRÆCLARVM obſequij, quod ALDOBRANDINO debetur, teſtimonium: non molle, & remiſſum amoris, familiares eius, vt oſtenderent, ab eo aliquando percontati ſunt, cuius ope adiutus tot res, tam graues, & acerbas ſuſtineret: patientiæ reſpondit. Nam patiendi virtus hæc eſt, vt difficillima

lima quæq; ex diuturna conſuetudine, reddantur facillima: ita Socrates Alcibiadi miranti, quòd Xantippen ad res omnes acrem, & acerbam, quæ nunquàm in virum dentes non exacueret, pateretur, ego inquit iampridem eius iurgijs ſic aſſueui, vt ipſa iam callum obduxerit meo ſtomaho.

QVOD NEQVE POPVLVS PLVRIVM dominium: neq; virtus otium norit pati. XIV.

CVM plures eundem Imperij clauum tractare contenderent, dixit neq; populum plurium dominium: neq; aſpirantem ad virtutem ſcire otium pati. alterum Lydorum Rex Cræſus ſua interdum docuit ſtultitia. Nam cùm fratrem imperandi ſibi aſciſceret ſocium, tum quidam ex lydis, ò Rex inquit, omnium in terra bonorum Sol eſt auctor: at ſi gemini ſoles forent, periculum eſſet, ne omnia incenderentur: ita regem quidem vnum accipiunt Lydi: duos ſimul tolerare non poſſunt. in altero teſtis eſt ipſe Antiſtes. Nam interrogatus ab ambitioſis quibuſdam cuius ope pararetur imperandi ſapientia, non dignitatis dixit, ſed temporis, & ſtudij. Non enim vt Cæneus, qui ſubito è muliere factus eſt vir, optando tantum: ſic repentè qui ſtultus abit cubitum, ſurgit ſapiens.

QVOD SINE PATIENTIA, NEMO non ſit miſer. XV.

CVM conſpiceret plurimis calamitatibus obiectam eſſe mortalium vitam, multiq; ob id, grauiter in dies ingemiſcerent: dixit non eos eſſe miſeros, qui in do-

in dolorem inciderent, ſed eos qui patientes non eſſent doloris. neq; enim patiens eſt ſine dolore: neq; vir bonus ſine patientia. Zaleucus igitur fratri in malis quærenti: non quæreris dixit, propter acerbitatem malorum: Sed quia ipſa mala neſcis pati. Elegans hùc pertinet Apologus. Cùm enim in Comitijs animantium Aſinus expoſtularet, quòd careret cornibus: ingemuit item Simia, eò quòd caudæ deſtitueretur honore: at Talpa vtrumq; felicem eſſe dixit, ſe autem tantum eſſe infelicem, quando perpetua præmeretur cæcitate. quorſum? nemo, ſi benè attendimus, eſt tam felix, qui ſine patientia, nõ ſibi videatur deteriori, quàm par eſt, eſſe cõditione.

QVOD LIBERTATIS DECVS, SIT patientia. XVI.

QVIA nuda, & enermis eſt ratio, ſine doctrinæ præſidio, Antiſtitis doctrinam cùm paſſim, tùm hoc loco, fas eſt carpere, & colligere. differentibus enim quibuſdam de populi libertate, dixit neminem præter patientem eſſe liberum, eò quòd ſolus is non poſſet cogi. docit idipſum olim apud Romanos Pompei virtus. Hic enim legationis officio cùm fungeretur, à Genthio Rege interceptus eſt, vt Senatus conſilia prodere iuberetur: at ille conſtanti fide, fortiq; animo, admotæ lucernæ cremandum digitum præbuit, eaq; patientia non ſolùm Regi deſperationem tormentis quicquam ex ſe cognoſcendi attulit, ſed etiam poſteris vniuerſis teſtatum reliquit, eùm non poſſe cogi, qui nouit dolorem pati.

DE SOLERTIA TITVLVS XX.

QVANQVAM Populus Romanus ita olim, & lumem, & oculos amauit intuentium, vt neq; ante ſolis ortum, neq; poſt occaſum, voluerit Senatuſcō ſulta eſſe rata: ita tamen ſolertiæ exarſit amore, vt cùm Dies labori ſit Sacer, nox quieti, diem voluerit à media nocte, præter Græcorum, & Ægyptiorum conſuetudinem, initium trahere. id autem eò pertinere volebant, vt omnes intelligerent, noctem nullam neq; labore neq; ſtudio, cuiquàm debere eſſe vacuam. Quoniam aūt difficillimæ quæq; res, ſolertiæ curantur præſidio: Ægyptij Hieroglyphiū Regis, qui verſatur circa difficillima, fecerunt Draconem, qui inter omnes animantes, ſolus adeò ſomni eſt inimicus, vt eum nemo adhuc viderit dormientem. Tam ſolers aūt, & Diligens, eſt P. ALDOBRANDINVS, vt apud eum nulla ſedes ſit, niſi in labore, quietis. in quo quanta ſit Rom. Eccleſiæ felicitas, ex eo liquet, quòd longè res eſt capitalior principi cum otio, quàm cum hoſte. Nam cur Naſica, in Conſilio de Carthaginis euerſione, magis probabat Carthaginenſium aduerſus Romanos diſcrimen, quàm Carthaginis euerſionem? quia res ſecundæ ex otio infelicem: aduerſæ felicem, ex ſtudio habent exitum. virtus enim diligentia: inertia vitium omne nutritur. Nam cur Homerus Agamemnonem, cùm cæteri dormiant, ſemper facit vigilantem? quoniam otiari neſcit virtus, quæ omnis in actione conſiſtit. Sed quid ego hæc? vicit is ſummus Antiſtes

ſtudio, & ſolertia Scipionem Africanum, qui ſolitus eſt dicere ſe nunquàm minus eſſe ſolum, quam cùm eſſet ſolus, nec minus otioſum, quàm cum eſſet otioſus. In quo amo Sapientiſſimi Senatoris FRANCISCI Gluſſiani teſtimonium. Nam cùm Senatores olim iccirco Patres conſcripti ſunt nominati, quòd eorum nomina, in Diademate eſſent inſcripta, quaſi eadem ſit, & Regis, & Senatoris cura: tùm in eo Senatore, tantum eſt ſolertiæ, & ſtudij, vt Gluſſianus maiori quàm Atea Rex dignus videatur laude, & gloria. Ille enim quanquam terrori erat PHILIPPO, quòd Philippus Macedonibus tantum imperaret hominibus pugnandi peritis: is verò Scythis, qui etiam aduerſus famem, ſitimq; pugnare norant, obdormiuit tamen aliquando tempori: Gluſſianus autem tanto continenter publicæ vtilitatis efferueſcit ſtudio, vt nunquam videatur, niſi in plurimarum rerum aſperitatibus quieſcere. Nam quid de Senatu dicerem vrbis Mediolani? nullam admittit ſolertiam ſine fide, & prudentia. illa, vt ſemper appetat quæ honeſta ſunt, declinet contraria: hac, vt quæ vtilia ſunt cæteris, curet & perficiat. Atq; ſicuti Ægypti Reges, neminem ex ijs hominibus, quorum vtebantur opera, admittebant, niſi qui liberali eſſet forma, & virtute inſignis: ita ad incredibilem Senatus Mediolani gloriam, hoc accedit etiam, quòd nullos habet ſui adminiſtratores, niſi quorum ars, ſummæ ſapientiæ miniſtra ſit, & famula. Teſtis eſt vnus pro omnibus IO. FRANCISCVS Landrianus, à ſecretis, qui in ſcriptis dictiſq; Lyram extorſit Apollini, & ita extorſit, vt ex eius concentu videatur, vel Landrianus ex Apolline natus, vel ex Landriano reuiuiſcere iam ipſe Apollo. Nam ex ſoluta & libera eius oratione, duplex percipitur fructus, vnus artis & ingenij: alter virtutis, & doctrinæ, quorum vterq; eſt eiuſmodi, vt haud ſciam an quic-

quam

quam viro docto poſſit accidere laudabilius. facundia enim niſi rerum cognitionem attingat, verborum quædam eſt inanitas: Rerum vero cognitio, ſine facundiæ præſidio, infantia potius, quàm doctrina. Sed quò mea me abducit oratio? Quot in Senatu Mediolani, ſunt virtutum opifices, & Architecti: tot ſunt ſolertiæ, qua rerum Aſperitates, atq; temporum anguſtias omnes Cardinalis PETRVS ALDOBRANDINVS ſuperat, aperti, & expediti obſides.

1 *Quòd Imperatoriæ artis difficultas, nihil ferat vacui temporis.*
2 *Quòd Ingenij eos, & doctrinæ procreatrix ſit ſolertia.*
3 *Quòd nulla ſit imperandi tutior via, quàm animi ſolertia.*
4 *Quòd ſtudio, & ſolertia, ſuperetur hominis vis & natura.*
5 *Quòd in Diligentiæ tutela, omnia bonorum genera ſint poſita.*
6 *Quòd Principi ſolerti, non ſit properandum, ſed maturandum.*
7 *Quòd Acres ſint in honore, ad res arduas, ſolertiæ ſtimuli.*

QVOD IMPERATORIÆ ARTIS difficultas, nihil ferat vacui temporis. I.

QVANTI ſint neruorum, ac laborum fructus, ij omnes niſi ſolers, & diligens adhibeatur ratio, iniuria ſæpè abſorbentur temporum. Sciſcitantibus igitur amicis, quis in diſcrimine rerum, Princeps abundaret auxilio: qui inops eſt otij dixit. docuit id C. Cæſar, cui, in vita, nulla hora fuit labore, & ſtudio vacua, quiq; adeò tenax, & auarus fuit temporis, vt quemadmodum Oppius meminit, duobus pluribuſue ſcribis plerumque epiſtolas alieniſſimi argumenti, eodem tempore dictitaret. Nam ſemper inops eſt otij, qui neſcit otio vti.

QVOD INGENII, COS ET DOCTRInæ procreatrix ſit ſolertia. II.

CVM minutis,& anguſtis quæſtiunculis aliquando ageretur de re literaria, nonnulliq;, in noſtris hominibus deſiderium priſcæ eruditionis refricarent, dixit non doctrinam,ſed docendi artem, hac noſtra ætate deeſſe: at qua dixerunt: qua Demoſthenes reſpondit ex infantiſſimo, factus eſt oratorũ omnium eloquentiſſimus, quo reſponſo ſolertiam potiſſimum fecit ingenij, & doctrinæ magiſtram,atq; dominam. Nam Demoſthenes, vt refert Cic. eo exarſit ardore ſtudij, vt iniquo animo ferret, ſi quando opificum antelucana vinceretur induſtria. Hic etſi omnia,ad doctrinæ,& eloquentiæ laudem, habebat impedimenta naturæ: labore tamen,& ſtudio tantum effecit,vt doctiſſimos, ac eloquentiſſimos quoſq; longo interuallo poſt ſe reliquerit.

QVOD NVLLA SIT IMPERANDI tutior via, quàm animi ſolertia. III.

NON imperandi via ſolum eſt ſolertia,ſed etiam imperantis ad ſumma quæq; vehiculum. Sciſcitantibus igitur amicis, quibus gradibus, in imperio,ex rebus paruis,ad magnas fieret aſcenſus: non dignitatis dixit,ſed Solertiæ. Nam magnæ res labuntur ignauia: paruæ creſcunt ſolertia. idipſum vt doceret Agathocles ex figulo patre natus, cum Sicilia potitus eſſet,Rexq; declaratus,ſolitus eſt in menſa fictilia pocula iuxta aurea ponere, eaq; iuuenibus oſtendens dicere fictilia, propter ſolertiam, aureis facta eſſe potiora.

QVOD STVDIO, ET SOLERTIA ſuperetur hominis vis, & natura. *IV.*

SOLERTISSIMVS quiſq; princeps peſſimè ſæpè audit. Nam virtuti ſimul, & otio vulgi difficillimum eſt morigerari. dicebat tamen ex diuturna laboris conſuetudine; & ingenio acumen, & corpori robur miniſtrari. illud probatur Alcibiadis teſtimonio, qui ex ſtudiorum aſſiduitate, ſtatim quæ minus expreſſa erant, percipiebat, & quæ callidè verſutèq; dicebantur cauebat: hoc admirabili quodam eluceſcit Anus cuiuſdam exemplo. Nam cum conſueuiſſet paruum vitulum, quotidie portare, nec ab incepto, vllum diem intermiſiſſet, tandem adultum quoq; bouem dicitur portaſſe.

QVOD IN DILIGENTIÆ TVTELA omnia bonorum genera ſint poſita. *V.*

QVEMADMODVM terra ab Homero mater, Oceanus externorum bonorum pater vocatur: ita diligentia à tali, tantoq; Antiſtite, eorum, quæ diliguntur magiſtra, & domina eſt nominata. Etenim neq; vtile, neq; honeſtum quod eſt, poteſt niſi in diligentiæ fundo ſuccreſcere. Nā quod conſueuit Antiſthenes diſcipulis, antè quàm ad ſe eos admitteret, dicere, opus eſſe libro nouo: ſtylo nouo: nouaq; tabella, res eſt plena ſtudij, & ſolertiæ, ſine qua ſumma eſt bonorum omnium deſperatio. Nam ad ea non ſolum comparanda, ſed etiam conſeruanda animus requiritur vigilans: ſtudium acre, & tenax memoria.

DE PERSEVERANTIA SIVE CONSTANTIA TITVLVS XXI.

EST Perſeuerantia fida patientiæ comes, & in rebus aduerſis perferendis, adiutrix. Nec vlla eſt certior ad finem vſq; perſeuerandi ratio, quàm viribus æquare onus, vt quiſq; non quantum ferre poteſt, ſumat: ſed perferre. Hæ ſunt in Principe columnæ Herculis. Quia firmi, ac fortis eſt animi, ſummam conſeruare virtutem, quam ſemel amplexus fuerit: optima autem perſeuerandi ratio eſt, non ſolum non retrocedere: ſed etiam in dies vlterius progredi, & quantum poſſumus, ſemper ad ſublimiora tendere. Quod grande eſt opus, tarde eſt aggrediendum: deinde perſeueranter progrediendum. Cæpiſſe quippe, eſt multorum: perficere paucorum. alterum enim eſt conſilij: alterum laboris. Nec enim qui pugnat, ſine perſeueratione, victoriã conſequitur: nec virtus ſine, perſeuerantia perficitur. dicitur perſeuerans, quaſi ſemper ſequens verũ: Eò quòd nulla gratia, nullis illecebris nulloq; terrore ſit mutabilis. Hac in virtute, vt ALDOBRANDINORVM iam exempla prætercam, habet etiam temporum antiquitas ſua monimenta gloriæ. Nam ea ſic floruit Ariſtides, vt ab eo filiam, in matrimonium cùm peteret Dionyſius, reſponderit filiam ſuam eiuſmodi eſſe educatam, vt mallet mori, quam tyranno in vxorem dari. Eam igitur cum de medio ſuſtuliſſet, quæreretq; Tyrannus iterum ab Ariſtide num etiam in

eadem perſiſteret ſententia, dixit factum dolenter ſe ferre: dicto autem lætari. Sed quid ego remota attento, propinqua relinquo? LVCIVS Albricius Senator, ita ad vrbis publicũ, & cõmune hominum commodum, in iure perſeuerat, vt ius non ſolum videatur ſeruare, & tueri: ſed etiam plurimarum virtutum gloria honeſtare. Nec eſt eius perſeuerantia, in labore, & ſtudio, otij, quod cupit ex ciuitate exulare, patiens. Nam ex otio voluptas: ex voluptate flagitium: ex flagitio offenſio, ex offenſione interitus demum fit iuris, & iuſtitiæ. Quare olim in benè inſtituta Rep. perſeuerantiæ gratia fiebãt Gymnaſia & ludi, & artes exercebantur. Nam cùm virtus omnis in actione conſiſtit: tum in ea non ſatis eſt, virum bonum temeritate vacare, & negligentia: ſed ars, etiam & perſeuerantia requiritur. Hoc eſt, quod ſapientiſſimus ille Senator, in vno maximè ſuſpicit Card. ALDOBRANDINO. Nam quid de ipſo Senatu, atq; admirabili eius virtute dicerem? Quemadmodum non difficilis eſt, ex ipſis militibus, de Imperatore coniectura: ita ex Senatoriæ gloriæ miniſtris, qui potiſſimum ſunt à ſecretis, facile eſt de Senatus admirabili ſapientia, iudicium. Nam cùm nullos habet ſui ordinis miniſtros, niſi ingenuarum artium magiſtros, plurimarumq; virtutum dominos: tum vnus adeſt IO. BAPTISTA Saccus à ſecretis, in quo Senatoriæ virtutis, & gloriæ non obſcurum, ſed euidens eſt teſtimonium. Nam quod is vita ſit honeſtus: ingenio ſubtilis: doctrina politus: quodq; ſic oratione eſt elegans, vt eius oratio, quaſi ſcientiarum floribus conſperſa, omnium animos oblectet, nemoq; ſit, qui ex ea guſtum, ſenſumq; non capiat ſummi ingenij eius, & eruditionis, id omne eſt eiuſmodi, vt non exigua cenſeatur eſſe Senatus gloria. Nec enim ex Sacco obſcurum eſt: qui fundus ſit in Senatorio ordine ſapientiæ: quod imperij decus:

quæ

quæ felicitatis officina, cuius alumni liquido, fuſo, vago, atq; multiplici floreant genere dicendi. Sed ne mea me alio abducat oratio, venio ad Perſeuerantiam, qua vnus maximè floret Card. ALDOBRANDINVS, vt doctè eius docent Apophthegmata.

1 *Quòd tanquàm fluctus à Saxo, dolores omnes infringantur conſtantiæ ſcopulo.*
2 *Quòd ſine perſeuerantia, virtus omnis ruat.*
3 *Quòd inconſtans neſciat in ſuſcepto conſilio perſiſtere, ſed ruat ſemper in deterius.*

QVOD TANQVAM FLVCTVS A Saxo: dolores omnes infringantur conſtantiæ ſcopulo. I.

PERSÆ nulla in re magis, quàm in obſeruatione regis, erant conſtantes. Itaq; ſi quis regi non paruiſſet: is capite, & brachijs amputatis, inſepultus abijciebatur. Sapientiſſimus aũt hic Antiſtes, quia acerba ferre robuſti animi eſt, magnæq; cõſtantiæ, interrogatus quid, in dolorum cruciatu eſſet boni: conſtantia dixit. Nam vt voluptates, continentiæ: ſic dolores conſtantiæ infringuntur viribus. præclarum eſt, in dolore contemnendo Caſſij Scæuæ teſtimonium. Nam ei, ad Dyrrachium oculus ſagitta cùm eſſet excuſſus: nihil ceſſit dolori, ſed forti animo in pugna continenter perſtitit. At in dolore ferendo, alia gens, aliter ſe habet. Nam Galli pugnaciſſimi habentur, & fortes in bello: morbo autem afflicti ſtatim ingemiſcunt:

Græci contra ignaui ſunt in prælio, in lectulis verò ſuis conſtanter ægrotant.

QVOD SINE PERSEVERANTIA Virtus omnis ruat. II.

QVIA perſeuerantia eſt, in ratione bene conſiderata, ſtabilis & perpetua permantio, ſolitus eſt perſeuerantiam, baculum virtutum omnium eſſe dicere, ſine quo ſtatim coguntur omnes ruere. Eſt autem virtus hæc magni & conſtantis animi. Nam celeritas, & magnitudo, raræ eſt felicitatis: multo vero rarioris diuturnitas, & conſtantia. Hac vna duce, non ſolum virtutes, ſed etiam fruges omnes cenſentur ad maturitatem peruenire. natura enim in omni rerum genere, nõ niſi gradatim, ſolet progredi: nec antè perficere opus, quàm ad vltimum vſq; gradum peruenerit. Nihil eſt igitur in moribus perſeuerantia, niſi animi excelſi, atq; inuicti magnitudo, ac robur. Teſtes ſunt Ægyptiorum Sacerdotes. Nam cur apud eos, Hieroglyphicum per Gruis pennas conſtituitur perſeuerantiæ? vt docerent virum conſtantem nunquam cedere temporum iniuriæ. Nam Gruis pennæ nulla ſolent, vt cæterarum alitum, mutari, per ætatem, coloris viciſſitudine: ſed eodem ſemper perſiſtunt colore: quin eorum alæ ſi geſtantur, aiunt geſtantibus laboris ſenſus, ad res omnes, hebeſcere.

QVOD INCONSTAS NESCIAT IN *ſuſcepto conſilio perſiſtere, ſed ruat ſemper in deterius.* III.

NIHIL eſt magis in oratione, aut vitandum, quàm quod aurium habet ſatietatem, aut appetendum, quàm quod eárum ſitim auget, cum doctrina & iucunditate. id hoc exempli patet teſtimonio. Inquiebat enim fortem virum non tam felicem eſſe, & beatum: quàm hominem & inconſtantem, alijs exoſum, & ſibi miſerum. Alterum, quoniam æqua qui grauate patitur, iniqua vt plurimum, cogitur pati: alterum, quoniam nulli conuenit, qui ſibi eſt renitens, & controuerſus. ſemper enim inconſtans abit in deterius. inde vetus prouerbium. ἐπὶ μανδραβούλου χωρεῖ το πραγμα. hoc eſt Res Mandraboli more ſuccedit. quadrat in inconſtantem virum, & inſtabilem: qui hoc laborat vitio, vt nunquam mutet cõſilium, niſi in deterius. veritatis eſt in proberbio, teſtimonium. Nam Mandrabolus theſaurum cum reperiſſet, primùm auream ouem poſuit Iunoni Samiæ: proximo anno Argenteam: tertio Æneam: eò res pertinet, vt quò ſæpius mutetur in conſtans, ſemper melius quod eſt, poſtponat deteriori.

DE TEMPERANTIA
TITVLVS XXII.

EST temperantia virtus Principis. Nam, vt inquit Socrates, virtutum omnium eſt ſaluberrima, tamq; publicæ, quàm priuatæ humanę ſocietatis conciliatrix. Itaq; vetat ille, ex Magorum ſententia, ante curari corpus, quàm curetur animus. Nec obſcurè in eos inuehitur, qui minima curantes, ſumma curare negligunt. Quid enim ijs ridiculum magis videri poteſt, qui & equis, & canibus ægrotantibus remedia quæritant: in ſui verò & corporis, & animi morbis, medicos minimè conſulant? animum ferunt intemperantem: Citharam minimè ferunt nō temperatā, quotidieq; curioſè aliena tractant, propria deſerunt. Nam, ſi bene attendimus, omnia ſunt aliena, præter animum, qui minimè curari poteſt, ſine temperantiæ præſidio. Plato igitur, in Charmenidis vult ſapientiam quoque, in ipſo latere tēperātiæ nomine. Nec falsò id quidem. Nam primi perturbationum ſenſus, vel ad fortitudinem, per iram: vel ad prudentiam, per timorem: vel ad iuſtitiam, per amorem: vel ad patientiam, per dolorem, iter oſtendunt. Soli verò Temperantiæ, omnis impetus opponitur perturbationis. Nam temperantiā qui habet, omnia decenter agit, cum ſumma animi tranquillitate. Temperatis autem hominibus, vt ait Plato, lex eſt ipſe deus: intemperantibus voluptas. Quanquam tamen ne voluptatis quidem expers eſt temperantia. Nam vt ſatietas omnia ex iucundis, reddit iniucanda: ita temperantia voluptatem rariore vſu maiorem facit. In hac vna

virtute

virtute, optimum ingenij, incolumitatis, ac modeſtiæ, per vniuerſum vitæ curriculum, poſitum eſt viaticum. Hæc autem virtus ſapientis eſt potius, quàm diuitis. alterum quia res eſt difficilis, aut diuitem temperantia, aut temperantem oblectari diuitijs: alterum quoniam nihil Eſt Deo gratius viro temperante. Nam modeſtè viuere, diuinum officium eſt: eoq; tanquàm optimo rerum omniũ concentu maximè colitur Deus. Hac virtute cùm maximè oblectetur: tũ in ea, omnibus rebus nouit MARTINVS Veraſtigius Senator Æquiſſimus, niſi laboribus temperare. Nam publicæ vtilitatis, & communis commodi gratia, tot ſolicitudinum ſtimulis, & curarum aculeis confoditur, vt ſemper finis vnius negotij, principium ſit futuri, nec ei quicquam aliud ſit labori finem imponere, quàm laboris primordia capere. Hæc enim eius eſt natura, hoc tam acre, tam ardens ſtudium, vt ſolum videatur menſura carere. Nam vt publicæ quieti conſulat, nullam partem capit quietis, omneſq; ſuas curas tam intento animo, atq; incredibili labore, in publica vtilitate tuenda fixit, vt qui Veraſtigium benè norit, verum conglobatæ virtutis, & doctrinæ exemplar norit. Quare eius, ad Cardinalis ALDOBRANDINI Apophthegmata, geſtio hoc loco, vti auctoritate, & teſtimonio.

1 *Quòd malus ſit virtutis magiſter: qui turpitudinis ſit miniſter.*
2 *Quòd nulla ſit tam inſidioſa, quàm quæ maximè placet voluptas.*
3 *Quòd Princeps alios iuſtitia: ſeipſum magis perficiat Temperãtia.*
4 *Quòd res ſit difficillima virtutem ſimul, & pecuniam amare.*
5 *Quòd voluntaria paupertate nihil ſit beatius.*
6 *Quòd Populus venter ſit Principis, cui debet morigerari.*
7 *Quòd intolerantia, Rationis, & iudicij ſit inimica.*

Quòd

8 *Quòd non minus glorioſa ſit, aduerſus voluptatem, quam contra hoſtes victoria.*

9 *Quòd Principis frugalitas, veluti quandam anſam porrigat populo admirationis.*

10 *Quòd parere virtuti, Regi ſit glorioſius, quàm hominibus imperare.*

11 *Quòd Princeps, nec in armis odio; nec in otio amore debeat ſuperari.*

12 *Quòd Temperantia maximè expediat ciuili ſocietati.*

13 *Quòd quaſi in temperantiæ vtero concipiantur laudes virtutum omnium.*

14 *Quòd Temperantiæ Semita, non ſolum ad virtutes, ſed etiam ad ſcientias aperiatur aditus.*

15 *Quòd in Temperantiæ penu repoſita ſit acies ingenij, & robur virium.*

16 *Quòd abſtinentia pabulum ſit ingenij, & integritatis.*

17 *Quòd Abſtinentia ſales omnes habeat, & animi, & corporis.*

18 *Quòd in fame non adeo cibus, quàm in cibo abſtinentia ſit requirenda.*

19. *Quòd Abſtinentia animi ſimul, & corporis ſit medicina.*

20 *Quòd cum Abſtinentia, vires corporis creſcant, & decreſcant eaq; virtute maximè res gaudeat militaris.*

21 *Quòd victus laus commendatur abſtinentia, non epularum elegantia, & copia.*

22 *Quòd in cibis nihil ſit ipſo appetitu conditius.*

23 *Quòd Abſtinentia flagitiorum ſit medicina.*

24 *Quòd Abſtinentiam ſequantur ducem ſumma quæq; bona.*

25 *Quòd vbi ſobrietas non ſit, ibi nec rationis, nec imperij vllus ſit vſus.*

26 *Quòd Principis cõtinentia popularem gratiam maximè concilict.*

27 *Quòd ditiſſimus ſit, qui inops ſit cupiditatis.*

QVOD

QVOD MALVS SIT VIRTVTIS MAgiſter: qui turpitudinis ſit miniſter. I.

QVÆ Conſtituitur virtus Principis, non ſcholaſtica dape: ſed rerum omnium vſu, & experientia eſt depaſcenda. Hac qui eſt præditus, ad ardua tendens, ſtomachatur cupiditatum omnia Lenocinia. Interrogatus itaq;, quis ſummus eſſet Imperator: qui ventri, dixit, qui voluptati, quiq; ſuis ſic imperat ſenſibus, vt nullis vitiorum irretiatur illecebris. ita quippè laudatur ſuperior ille Cato, qui pellibus hædinis, pro ſtragulis, domi, militiæq; vtebatur: quiq; Hiſpaniam gubernans, trium ſeruorum comitatu contentus, eodem & cibo, & potu, quò illi vtebantur, vitam trahebat eam, quæ exemplo erat amicis: terrori inimicis.

QVOD NVLLA SIT TAM INSIDIOSA, quàm quæ maximè placet voluptas. II.

FINIS benè imperandi, non eſt artis cognitio: ſed eius rei, quam ars adhuc nulla ferè intellexit, inueſtigatio. Non enim artis eſt, ſed virtutis honeſtè viuere. cùm autem multarum deliciarum comes ſit Principis dignitas, ſciſcitanti fortè cuidam, quid in delicijs potiſſimum eſſet cauendum: quod maximè placet dixit. Hoc ipſum non verbis: ſed re ipſa aliquando cõprobauit Scipio Aphricanus. Nam puellam ſibi in Hiſpania eximiæ formæ oblatam, non modo renuit: ſed etiam aurum, pro ea redimenda, doti adiecit, eamq; accerſitis parentibus, integram, & incorruptam viro reſtitui iuſſit.

QVOD PRINCEPS ALIOS IVSTITIA: *ſeipſum magis perficiat temperantia. III.*

QVI non poteſt quæ acerba ſunt, & difficilia ferre: non eſt credibile, vt ijs cedendo, poſſit ad res grandes aſpirare. Nam quæ res grandis eſt, & glorioſa, ea omnis plurimis rerum aſperitatibus eſt intercluſa. Interrogatus igitur quid maximè probaret, in principe, eam dixit virtutem, qua Cic. in primis, commendat Deiotarum Regem. Erat quippè in eo, vt ait, ſingularis, & admiranda frugalitas. Etſi inquit, hoc verbo ſcio laudari reges non ſolere: nec frugi hominem, multum laudis habet in rege: ſed fortem: iuſtum: ſeuerum: grauem: magnanimum: largum: beneficum: liberalem: ego tamen frugalitatem, id eſt modeſtiam, & temperantiam, virtutem maximam eſſe iudico. Nam Princeps alios illis virtutibus: hac autem virtute ſe magis perficit.

QVOD RES SIT DIFFICILLIMA *virtutem ſimul, & pecuniam amare. IV.*

NON conſiſtit ingenij laus, in rebus nouis inueniendis, ſed vtilibus: nec iudicij gloria eſt de rebus reconditis, ſed veris: In vtroq; autẽ quantum præſtet ſapientiſſimus hic Antiſtes, non difficile eſt odorari. Nam cuidam interroganti, quid homini maximè eſſet operoſum, & difficile. Sapienter, dixit, viuere, & opes amare. In hac ſententia cùm eſſet Anaxagoras Clazomenius, omne patrimonium neceſſarijs ſuis vltrò largitus eſt. qui enim in cœlo fixit omne bonum, nihil eſt in terris, quod quicquam putet retinere boni. Quare ille per varias regiones peragrans, compellantibus

pellantibus quibuſdam quò tenderet iter: cœlum intuens, in patriam dixit. illa enim vera eſt patria, in qua quis non eſt inquilinus: ſed habitandi dominus: & ex qua non ſolum ſine crimine, ſed etiam ſine criminis ſuſpicione, originem traxit.

QVOD VOLVNTARIA PAVPERTATE nihil ſit beatius. V.

NVLLA virtus, tam anguſtis terminis, & finibus ſui nominis eſt definita: cuius quaſi doctrina, non videatur, eo nomine teneri incluſa. cùm igitur Temperantia, ab vberrimo eius fructu, & animi, & corporis, rerumq́; omnium, frugalitas à latinis ſit nominata: interrogatus aliquando, cuius in terris diuitias maximè probaret: non Cræſi, dixit, ſed Diogenis Cynici. Grauis in ſumma breuitate reſponſio. Non enim eſt diues, qui multum poſſidet: ſed qui minimum appetit. Id autem Diogenes Alexandro ita interdum comprobauit, vt ipſe Alexander viſus ſit Diogenis felicitati ſubinuidere, cuperetq́; quaſi commutato Alexandri nomine, eſſe Diogenes. Diogeni enim nihil deerat: plurima deerant Alexandro. Nam cùm tantum cuiq; deſit, quantum appetit: qui contentus eſt, nihil etiam habens, omnia poſſidet.

QVOD POPVLVS VENTER SIT Principis, cui debet morigerari. VI.

QVONIAM neq; turpe quod eſt, opinione tollitur honeſti: neq; quod eſt erratum, nomine artis, imminuitur, & doctrinæ: falsò rebus turpibus, vt fit, honeſta imponuntur nomina. Interrogatus igitur, quem non auarum: ſed frugi duceret eſſe principem: non qui vni ventri, reſpondit, imperat: ſed qui

tanquam Briareus multos plurimis brachijs alit ventres. Hoc apertè magis, quàm Poetæ, Plato ad Archytam Tarentinum. Ne quicquam igitur Princeps ſapit, qui non plurimis ſapit.

QVOD INTEMPERANTIA, RATIOnis, & iudicij ſit inimica. VII.

CVM in vino, nec regi, nec vehi poteſt rationis clauo, imperium: inquiebat principem, in vino non ſolum mentem: ſed etiam principatus amittere auctoritatem. Non vulgare eſt priſcæ vetuſtatis exemplum. Nam cùm Philippus Macedonum Rex oſcitanter inter Scyphos, peregrinam quandam mulierem, indicta cauſa, damnaſſet: tùm illa grauibus verbis iudicium, ac iudicem mordens, exclamauit, ſe prouocare ad alium iudicem: ad quem Philippus Rex reſpondit: tum illa ad Philippum ſobrium. tunc rex ad ſe rediens, atq; re bene cognita, mulierem, vt poſtulabat ius abſoluit, liberamq; dimiſit.

QVOD NON MINVS GLORIOSA ſit aduerſus voluptatem: quàm contra Hoſtes victoria. VIII.

NVLLA eſt in ſuaſionis, & diſſuaſionis fluctibus, firmior anchora, ad verſus omnes fallaciarum tempeſtates, quàm viri ſapientis in ratione fundata auctoritas. Solitus autem eſt dicere, glorioſius eſſe Imperatori Hoſtem temperantia, quàm armis ſuperare: nec minus eſſe honeſtum, temperatè aduerſus voluptatem, quàm fortiter contra pericula pugnare. Nam ferro, hoſtium robur: virtute animus magis

ſupera-

ſuperatur. itaq; Scipio Maior non tantum gloriæ ex hoſtium trophæis, quantum ex victis voluptatibus reportauit. Hic enim illas ita continenter frenauit, vt ſemper à captiuis mulieribus abſtinuerit, nec vllam vnquam in conſpectum ſuum venire voluerit, vt non ſolum mentem, ſed etiam ſenſum oculorum continentem haberet. Cùm autem virgo quædam captiua ad eum duceretur formæ elegantia admirabili, illam honeſtè integreq́; cuſtodiri iuſſit, atq; Luceio Principi Celtiberorum Sponto integram, intactamq; reſtitui quæ res Celtiberis cauſam tantæ beneuolentiæ præbuit, vt illi vltrò in poteſtatem Romanorum venerint. Quod igitur armis Scipio aſſequi nequiuerat: continentiæ præſidio ſtatim aſſecutus eſt.

QVOD PRINCIPIS FRVGALITAS veluti anſam quandam porrigat pobulo admirationis. IX.

QVÆ fluunt à tanto Sapientię Antiſtite Apophthegmata, eo ſale ſunt aſperſa, vt in ijs nullus ſatietatis: plurimus etiam ſit iucunditatis ſenſus. Cùm de populari gratia, erga principem fortè ageretur: cuidam ſciſcitanti, quo in primis adiumento Princeps gratus redderetur populo, & admirabilis: vitæ reſpondit integritate. Hanc enim virtutem non ſolum ciues, ſed etiam hoſtes, in imperatore amant, & admirantur. Quare ad Scipionem Aphricanum, qui Linterni exulabat, viſendum, & ſalutandum Prædones longa nauigatione acceſſerunt, vt eum aliquando cernerent, quem pro fama temperantiæ, & rerum geſtarum gloria, ſummo ſemper amore coluerant.

QVOD PARERE VIRTVTI, REGI ſit glorioſius: quàm hominibus imperare. X.

PLVRIMVM amo in Præſule, ſentẽtiarum doctrinam: nec minimum laudo dicendi genus. Nam cum orationis grauitate, argumenti creſcit dignitas. Cùm de optimis Regibus, & Imperatoribus fortè incidiſſet quæſtio: rogareturq; quem iudicare: optimum: non qui multis dixit, ſed qui ſibi vni nouit imperare. Hanc laudem Anacharſis Scytha ſibi vendicans, ſtatuis, & imaginibus ſuis inſcribebat, linguæ, ventri, pudendis obtemperandum. Glorioſius enim eſt virtutis imperata facere, quàm ne ab alijs omittantur, cauere.

QVOD PRINCEPS NEC IN ARMIS odio: nec in otio amore debat ſuperari. XI.

DELICTI, & erroris fuga: virtutis laus eſt, & gloria. cùm igitur nihil magis in honoris ſplendore cauendum ſit, quàm dedecus, & ignominia: interrogareturq; quid Principi, qui magni, & inuicti eſt animi, ſit metuendum: ne, dixit, qui in armis, non poteſt vinci odio hoſtium: in otio amore vincatur voluptatis. comprobauit hoc eius ſapienter dictum, aliquando Alexander graui temperantiæ teſtimonio. Nam cùm inuitaretur, vt Darij Regis filias, quas captiuas tenebat, viſeret, quòd admirabili eſſent formæ elegantia: recuſauit inquiens, non eſſe ſibi committendum, vt qui viros viciſſet, à mulieribus vinceretur. Nec enim Principi minus præclarum eſt, imperare cupiditatibus, quàm hominibus.

QVOD

QVOD TEMPERANTIA MAXIME expediat ciuili Societati. XII.

RERVM aſperitas, virtutis compenſanda cum ſit ſuauitate, ſciſcitanti cuidam quid ciuitati benè moratæ maximè expediret: Temperantia dixit. Nam ſublata cupiditate, nihil eſt, quo quis magnopere poſſit egere. Itaq; Pythagoras, qui primus Philoſophi nomen inuenit: viris fortitudinem: mulieribus pudicitiam: pueris verecundiam: omnibus frugalitatem propoſuit.

QVOD QVASI TEMPERANTIÆ vtero concipiantur laudes omnium virtutum. XIII.

AVIDE illæ ab omnibus, & animo, & auribus hauriuntur voces, in quibus non ſolum ſcintillæ ſunt ſuauitatis, ſed etiam faces ardentes doctrinæ, & virtutis. cùm autem de bonorum generibus ageretur, quorum fons, & caput eſt Princeps: Dixit in Imperij bonis, nihil eſſe melius temperantia. nec falsò id quidem. Nam auctore Pythagora, menſura rerum omnium eſt optima. à fructu igitur dicta eſt hæc virtus latinè frugalitas, eò quòd ſola fructum habeat virtutum omnium. Ægyptij igitur, vt docerent hac virtute regnum eſſe muniendum, Taurum quadrupedum omnium continentiſſimum, Regis fecerunt Hieroglyphicum.

QVOD TEMPERANTIÆ SEMITA, *non ſolum ad virtutes, ſed etiam ad ſcientias omnes aperiantur aditus.* XIV.

QVIA laudatur antiquitatis diligentia, in inueſtiganda eruditione: felicitas, in reperienda: ars deniq; in declaranda, dicebat eorum ingenia maximè eſſe probanda, quæ antiquam Muſarum integritatem ſibi viderentur olere. Nam & Muſæ, & Pallas, vt ſcribit Lucianus, omnes tutæ fuerunt à ſagittis cupidinis. Atq; vt, eſt in fabulis, iccirco à re Venerea cenſentur alienæ: quia voluptas non ſolum virtuti, ſed etiam doctrinæ, & ingenio exitialis eſt, & peſtifera. Non eſt res in fabulæ argumento: ſed in Anacharſis, qui Græcorum fuit ſapientiſſimus, teſtimonio. Hic enim in conuiuium receptus, intemperantes omnes, vt, etiam cum ſilentio, reprehenderet: quaſi accumbens quieti, alteram manuum pudendo: alteram ori adiecit. Hoc ex teſtimonij ſigno, omnis ferè intellexit poſteritas, quæ Reſp. ſumma mala vitare vellet: ei neq; gulæ, neq; Veneri eſſe indulgendum.

QVOD IN TEMPERANTIÆ PENV, *repoſita ſit acies ingenij, & virium robur.* XV.

QVÆ demum Temperato viro tribuitur laudatio, non inanis eſt iudicij, & gloriæ. Nam ſi abſtinentiæ decoratur coloribus, & pigmentis, ad ſpeciem eſt honeſta, nec ad ſenſum, & cogitationem fit impurior. Interrogatus igitur quo cibi genere

maximè

maximè oblectaretur, eo dixit, quo fames: non voluptas curatur. qua vna voce abſtinentiam maximè commendauit. Natura enim ventrem non delectari vult, ſed ſedari: non impleri, ſed obſonari. Nam ciborum copia, lumen reſtinguitur ingenij: vis & robur obruitur corporis. Etenim alimenta, vt medicamenta, nihil proſunt, niſi loco, & tempore, adhibeantur, cum menſura.

QVOD ABSTINENTIA PABVLVM ſit ingenij, & integritatis. XVI.

NON olet ſolum temperantia, morum integritatem: ſed etiam ingenij acumen. itaq; interrogatus aliquando qua elegantia, & copia apparatus maximè honeſtaretur, Temperātiæ reſpondit. cibi enim tenuitate acies exacuitur ingenij: ac faces ſimul reſtinguntur libidinis. Alterum docuerunt priſcorum temporum omnium ſapiētiſſimi, ſui teſtimonio, Perſarum Magi: Indorum Gymnoſophiſtæ, ac deniq; Ægyptiorum Sacerdotes, qui omnes à carnibus, & vino abſtinuerunt: Alterum in re aperta, non eget probatione, non neceſſaria. Nam veteri prouerbio, ſine Cerere, & Bacho friget Venus.

QVOD ABSTINENTIA SALES omnes habeat, & animi, & corporis. XVII.

QVEMADMODVM lumen reſtinguitur prudentiæ, ſine ingenio: ita ingenij acies hebeſcit, ſine abſtinentia. Sanguis enim non ſolum ieiunitate attenuatus vim habet, in homine ad res intelligendas, acuminis:

nis: ſed etiam ſacietate oppreſſus, ſtuporis. Sciſcitanti igitur cuidam quis ſtudioſis cibus maximè eſſet accommodatus: qui eſt dixit, parciſſimus: inculcanti rurſus quis eſſet, ſuauiſſimus, quem reſpondit, commendat ipſe neceſſitatis vſus. Id re & euentu, docuit aliquando Artaxerxes Regis Cyri frater. Nam cùm ei nihil eſſet in fame, quod præter panem hordeum voraret, iurauit nihil vnquam ſe commediſſe ſuauius.

QVOD IN FAME NON ADEO CIBVS, quàm in cibo, abſtinentia ſit requirenda. XVIII.

NIHIL eſt tanti Antiſtitis, aut pietate in Deum: aut humanitate in homines: aut iudicio in Reip. adminiſtratione ſapientius. Ab eo igitur ne recedá, cùm cerneret multos largius, quàm par eſt, ſe cibis ingurgitare, dixit nihil cibo, neq; vtile, neq; exitiale magis eſſe homini. Nam venter, niſi modus adſit, plures occidit, quàm nutrit. Nec alia ratione Lacedæmonij, ex Lycurgi legibus, conuiuio interdicebantur, niſi, quoniam nimio cibo ſanitas: nimio potu mens: ac deniq; nimia verboſitate morum decus amittitur.

QVOD ABSTINENTIA ANIMI ſimul, & corporis ſit medicina. XIX.

DIOGENIS abſtinentiam vincere non potuit Alexander, etſi cognomen inuicti eſt aſſecutus: potuit Diogenes Alexandri, & aurum, & vires ſuperare abſtinentia. Hanc qui habet, vix quicquã eſt, quod metuat mali. Sciſcitanti igitur cuidam, quæ aduerſus ſumma mala, daretur medicina, & animi ſimul, & corporis, abſtinentia dixit: reſponſum verò graue, & omni obſeruantia

uantia dignum. Nam & Plato abſtinentiæ præſidio, ſapientiſſimus euaſit:&C.Cæſar comitiali morbo,quo primum correptus eſt Cordubæ, per cibi parcimoniam eſt liberatus.

QVOD CVM ABSTINENTIA VIRES corporis, creſcant, & decreſcant, eaq; virtute res maximè gaudeat militaris. XX.

CONSVEVIT dicere nulla eſſe potiora,aduerſus ætatem ingraueſcentẽ, animiq; languorem: quàm quæ ex abſtinentia, reportantur victoriæ trophæa. Nec quiſquam,ſine huius virtutis præſidio,poteſt in bello ad rem militarem eſſe idoneus.Id Milites ſuo vt doceret exemplo Maſiniſſa,ſolet præter cæteros Reges, tenuitate gaudere. Stans quippè ſemper antè tabernaculum cibum, ſine pulmento ſumebat, cibario pane, & bellarijs militaribus contentus. proinde in ſenecta adeò viguit, vt poſt ſextum, & octogeſimum annum, filium genuerit: poſtq; nonageſimum annum ſecundum, Carthaginenſes, qui contra fœdus ei bellum intulerant, ſuperarit.

QVOD VICTVS LAVS COMMENDEtur abſtinentia, non epularum elegantia, & copia. XXI.

QVOD ventri ſuaue eſt ſimul,& honeſtum: id ſequi,res eſt planè operoſa & difficilis. Cùm igitur in populo multos animaduerterer, ex epularum varietate, & redundantia, magnificentiæ gloriam quærere: dixit illos eruditum magis habere palatum, quàm ingenium, eò quòd in apparatu,maior ſit laus parci-

 moniæ,

moniæ, quàm elegantiæ, & copiæ. In hanc item ſententiam venit aliquando Socrates. Nam admonitus ab amico, vt apparatum, qui erat tenuis, augeret propter hoſpitum aduentum: ſi boni viri ſunt, inquit, ſatis erit: ſin minus, plus ſatis.

QVOD IN CIBIS NIHIL SIT IPSO appetitu conditius. XXII.

CVM turpitudinum omnium officina ſit venter: eiuſq; voluptate non tam homo, quàm hominis nutriantur flagitia: multa in eo damnauit, quæ probantur ab alijs. Sciſcitanti autem cuidam, quod in cibis optimum eſſet obſonium, quod, inquit, ſapit. Hoc ipſum ſentiens Socrates, ſolitus eſt dicere, optimum cibi condimentum eſſe famem: potionis ſitim. ſatiatis enim ſordent omnia: placent etiam abiecta eſurientibus. Teſtis eſt Perſarum Rex Darius, qui in fuga cum aquam cruore miſtam, & cadaueribus contaminatam auidè hauſiſſet, negauit, vbi ſitim reſtinxit, ſe vnquam bibiſſe iucundius.

QVOD ABSTINENTIA FLAGITIOrum ſit remedium, & medicina. XXIII.

DIFFICILE eſt, inquiebat, ventri ſimul, & pudicitiæ parere. Nequiſſimus enim libidinis miniſter eſt venter, quem qui frenat, libidinem tollit. Itaq; Ægyptij olim, vt viuentes ad abſtinentiā hortarentur: nunquā mortuos ante ſepelire ſolent, quā exectis inteſtinis. idq; vt quod contra ius, faſq; ab ijs admiſſū, in vita fuerat, cauſa ſublata, quodammodo videretur expiati.

QVOD

QVOD ABSTINENTIAM SEQVANtur ducem ſumma quæq; bona. XXIV.

QVIDAM interroganti, qui iucunde viueret, non qui molliter dixit, & delicatè: ſed qui temperanter viuit. Temperantiæ enim attributa numerantur hæc. corporis robur: animi tranquillitas: rationis obſequium: vitæ integritas: lumen ingenij: formæ dignitas: ac deniq; fortunæ vtilitas. Qui igitur abſtinentiam habet, nihil eſt, quod vltra magnopere appetat. Accedit hùc M.Curij qui Romanæ virtutis fuit exemplar, graue teſtimonium. Hic enim ad focum ſedens, cum vaſis fictilibus, rapas edens, Samnitum auri pondus his verbis reiecit. malo, inquit, habentibus aurum imperare, quàm auro abundare. Fortis enim eſt, vt ait Euſebius, qui non tantum hoſtium, ſed etiam cupiditatum eſt victor.

QVOD VBI SOBRIETAS NON SIT: ibi nec rationis, nec imperij vllus ſit vſus. XXV.

NON alio condimento commendabant ſuos cibos Spartani, quàm fame. Victus enim iucunditas, in appetitu eſt, non in ciborum genere, & ſacietate. Tenuitas quippè in cibis, quæ iucunda ſunt, auget, & voluptatem maiorem facit. Atq; quoniam tantum detrahitur rationi: quantum additur ventri, ſobrietas maximè decet Principem, penes quem bona ſunt omnia. Interroganti cuidam quod periculum in Gubernatore nauigantibus in alto maximè eſſet timendum, ebrietas dixit. Periculum id Solon ad Remp. referens, cùm eſſet Athenienſium legiſlator, legem ſtatuit, quâ Princeps, ſi ebrius deprehenderetur, impunè occidi

cidi poſſet. Nam quid de abſtinentiæ vtilitate, vt honeſtatem prætercam, dicerem? expeditiſſima eſt ratio augendi cenſus: detrahere ſumptibus.

QVOD PRINCIPIS CONTINENTIA *popularem gratiam maximè conciliet.* XXVI.

TEMPERANTIA, alio nomine Continentia à continendo eſt dicta, eò quòd temperantem ab omni turpitudine gulæ, luxuriæ, cupiditatis, auaritiæ, ambitionis, & ſuperbiæ pellat, eumq; plurimis virtutibus circunuallatum, in rationis gyro contineat. Quare ſolitus eſt dicere, nullam ſemitam Principi magis ad gratiam popularem eſſe compendiariam, & expeditam, quàm continentiam. qui enim Princeps non ſolum auaritiæ crimine, ſed etiam caret ſuſpicione, ſolet populo gratiſſimus eſſe. Sic Paulus Æmylius populo fuit peroptatus. Hic enim ex maximo auri, & argenti pondere, atq; regia Gaza, quam in poteſtatem ſuam, ex victoria redegerat, nihil contrahere voluit, aut in rem ſuã conuertere: ſed quæſtoribus negotium dedit, vt omnia in publicũ ærariũ referrentur. Atq; quamquam Perſen vicit, & eum in triumphum duxit, & ex Hiſpania, ac Macedonia maximas opes, in publicum, retulit: ad tantam tamen tenuitatem, res eius familiaris redacta eſt, vt vix poſt eius mortem, ſuperfuerit, vnde vxori dos redderetur.

QVOD

QVOD DITISSIMVS SIT, QVI inops ſit cupiditatis. XXVII.

IS demum diues eſt, & beatus, non cuius ad opes, & copias magnus, in dies accedit cumulus: ſed cui ex earum vſu, demitur neceſſitas. longè enim quiddam eſt beatius externis bonis non egere, quam abundare. Qui autem opes non cupit, neq; ijs remotis mæret: neq; adiectis gaudet. Quocirca conſueuit dicere, nullam, neq; apud continentem, pecuniæ: neq; apud fortem, periculi eſſe auctoritatem. itaq; vt iter ad continentiam, & fortitudinem pariter olim ſuis ciuibus aperirent Lacedæmonij, lege apud eos cautum erat, vt ſi aurum, argentumue penes aliquem deprehenderetur, res eſſet capitalis: feliciore ſq; illi iudicarentur, qui fortiter morirentur in bello: quàm qui in pace proſperè viuerent,

DE MODESTIA TITVLVS XXIII.

MODESTIA vt inquit ingenij, & eloquentiæ Princeps M Cicero, eſt ſcientia eorum, quæ aguntur, aut dicuntur, collocandorum. Siue enim à verbo m edeoreſt dicta, quod certa ſit perturbationum omnium medicina: ſiue à verbo moderor, quod moderetur rebus omnibus, cenſetur eorum, quæ in dictis, factiſq; res poſtulat, magiſtra & domina. Moderantur autem voluptati, non qui penitus abſtinent, ſed qui hoc modo vtuntur, vt non abripiantur cum ipſa. Siquidem non naui, & equo moderatur, qui haud vtitur: ſed qui quo libuerit ducit. Nihil eſt in benè inſtituta ciuitate, hac vna virtute potius. Ageſilaus igitur à quodam interrogatus, quid vtilitatis Spartæ attuliſſent Lycurgi leges: quòd norit, reſpondit, voluptates contẽnere: iudicans non alia ex re magis Reip. corruptelam naſci, quàm ex delicijs. Teſtes ſunt in Senatu Mediolani duo Sapientiæ lumina. HIERONYMVS Sanſonius, & PAPIRIVS Cataneus. Nam ſumma quæq; in trauctando Imperij clauo, illius temperantur conſilio. Tanta quippè eſt acritate ingenij, tanta virtute, & doctrina, vt ſicuti equus freno circumagitur, ita eius auctoritate populus omnis, quò ius, quò ratio vocat, duci videatur. PAPIRII autem Catanei tanta eſt auctoritas, vt eius conſilium non ex virtute, ſed virtutem ex eius conſilio non vereantur omnes, qui illum benè norunt, probare. Res enim ab eo geſtæ plenæ videntur diuinitatis: ipſe verò virtutis nomen, animi magni-

tudine ſuperare. Ambos illos ſapientiſſimos Patres conſcriptos libenter hoc loco nomino, quia Cardinalis P. ALDOBRANDINI virtus admirabilis, & Modeſtiæ gloria, maximè recreatur grauiſſimo vtriuſq; teſtimonio.

1 *Quòd nec ſalutare: nec gratum quicquam ſit magis quàm modus.*
2 *Quòd turpe ſit, in rebus proſperis, animo efferri:*
3 *Quòd ſine modo, & Modeſtia, ars omnis taceat, & doctrina.*
4 *Quòd non adeò quid fiat, quã quo quid modo fiat; ſit ſpectãdum.*
5 *Quòd conſors modeſtiæ ſit verecundia.*
6 *Quòd Modeſtia, quaſi cos quædam, ſit verecundia.*
7 *Quòd Pudor non ſolum vim virtutis, ſed etiam numinis habeat in mulieribus.*
8 *Quòd Pudor naturam maximè attingat humanam.*
9 *Quòd Pudor virium plus habeat, quàm metus.*
10 *Quòd Pudoris color cenſebatur, apud veteres, habere non ſolum ornamentum virtutis, ſed etiam numinis.*
11 *Quòd olim nihil in Rege ſtatuebatur eſſe potius Modeſtia.*
12 *Quòd vbi non adſit modeſtia, ibi minimè ſeruari poſsit concordia.*
13 *Quòd minimè verboſa ſit Modeſtia.*
14 *Quòd, & Prudentiæ, & verecundiæ, & ſilentij comes ſit Modeſtia.*
15 *Quòd, vt Modeſtia virtuti: ita Modeſtiæ ornamento ſit ſilentium.*
16 *Quòd Ars ſtatuatur dicendi: virtus vero ſilendi.*
17 *Quòd Principis ſit plurimum cogitare, minimum loqui: ſumma verò quæq; operari.*
18 *Quòd alijs dicere: alijs magis expediat tacere.*
19 *Quòd, & decorũ, & tutum ſit cum Principibus minimũ loqui.*
20 *Quòd ſapienti probanda eſt magis, quam appetenda Regum familiaritas.*

QVOD NEC SALVTARE, NEC gratum quicquam ſit magis, quàm modus. I.

DIOGENES Cynicus eos ſolet irridere, qui propter bonā valetudinem ſacrificium facerent: deinde iura ſanitatis cibo, potu, atq; omni luxuria violarent. Nec quicquam eſt homini inſulſius, quàm à medico id præcari: quod ipſe ſibi poteſt largiri. Dicebat autem nihil neq; tenuitate, ad valetudinis firmitatem: neq; morum facilitate, ad beneuolentiam eſſe accommodatius. vtrumq; docuit etiam Imperatorum fortiſſimus Annibal. Nam, vt Græci referunt ſcriptores, neq; cùm, in Italia bellum geſſit, neq; poſtquàm in Africam redijt, cubans cœnauit, ampliuſq; vini ſextario indulſit: ſumma quoq; comitate, & gratia, ſecum agere volentes, ſemper excepit.

QVOD TVRPE SIT, IN REBVS proſperis, animo efferri. II.

SATIS vindictæ eſt, nolle nocere, cùm licet vlciſci. Itaq; Perſæ cùm ſupplicium de illuſtri viro ſumpturi eſſent, veſtem ei, & Tiaram detrahebant, atq; vtramq; ſuſpenſam, pro homine verberabant. Nec eſt inconſiderata ſuſpicio: ſed virtutis laus, principem paululum de ſuo iure, in vlciſcendo recedere. itaq; cuidam interroganti, quid in rebus ſecundis, turpe eſſet, inſoleſcere reſpondit. Non obſcurum eſt in Archidamo Ageſilai filio teſtimonium. Nam cùm à Philippo Macedonum Rege poſt cladem ab eo acceptam, literas aculeatas, &

tas, & plenas terroris accepiſſet: Si tu reſpondit, ò Rex metieris vmbram tuam, illa nihilo maior erit, quam erat ante victoriam. grauiter admonens non eſſe ſapientis animo turgere, in rebus ſecundis.

QVOD SINE MODO, ET MODESTIA ars omnis iaceat, & doctrina. III.

EST modeſtia ſciẽtia oportunitatis, atq; idoneorum ad agendum, temporum magiſtra, & domina. Interrogatus igitur, quis eſſet ſapientiſſimus, qui alijs dixit, præcellit modeſtia. Nec deeſt antiquitatis auctoritas. Etenim Menedemus Etrienſis cùm videret multos, in doctrina, nec modum, nec modeſtiam tenere, ſolitus eſt dicere plurimos nauigare Athenas, ſtudiorũ gratia: qui primum eſſent ſapientes: deinde fierent Philoſophi: tam progreſſu temporis, euaderent idiotæ: omnium autem maximè cenſetur profeciſſe Socrates, qui dixit hoc vnum ſe ſcire, quod nihil ſciret.

QVOD NON ADEO QVID FIAT, quàm quo quid fiat modo, ſit ſpectandum. IV.

NON eſt in iudicio præpropera habenda fides. Nam credulitas iudicis ſæpe calamitas eſt innocentis. Solitus igitur eſt dicere, virtutem ſine modo, fieri vitium. vetus huic eius ſententiæ conſonat prouerbium. πλεον ἡμισυ παντος: dimidium plus toto. Sicuti in hoc prouerbio ſita eſt aurea mediocritas: ita in ipſa mediocritate, vis omnis conſiſtit modeſtiæ. Nam vt ſtudium quidam modus eſt, inter negligentiam, & curioſitatẽ: ita virtus omnis refugit quod aut parum,

aut nimium eſt. Laudatur itaq; Archidamus, cuius filiæ cùm eſſent donatæ à Dionyſio veſtibus præcioſis, recuſauit pater, ne ijs indutæ turpiores fierent. Etſi enim pulchræ erant veſtes: quicquid tamen fit præter modum, eſt turpe.

QVOD CONSORS MODESTIÆ SIT verecundia. V.

SCISCITANTIBVS amicis, quo colore maximè commendaretur mulier, pudoris reſpondit. eſt enim verecundia cupiditatum moderatrix. verum virtus hæc magis eſt fœminæ, quàm boni viri. Minimè enim virum bonum decet verecundari, cùm ex erratis naſcatur verecundia. Quare hæc laudatur in iuuene, vituperatur in ſene. in illo enim rubor virtutis eſt color: in hoc dementiæ, & improbitatis. Demades igitur conſueuit dicere pudorem in muliere, arcem eſſe pulchritudinis, & cuſtodem officij. Nam plures pudore peccandi, à peccato ſæpè abſtinent: quàm honeſti ſtudio, & virtutis amore.

QVOD MODESTIÆ QVASI COS quædam ſit verecundia. VI.

SOLITVS eſt dicere, vbi adſunt verecundiæ aculei, ibi cupiditatem rationi parere. Nam frenum turpitudinis eſt verecundia. Hæc autem duplex eſt: vna, quà quis peccare, altera qua peccaſſe erubeſcit. Illam laudare ſoleo: hanc nunquam non vituperare. illa enim virtutis habet adumbrationem: hæc peccati ignominiam. atq; ſicuti apud Medicos magis præclarũ eſt præcauere à morbo, quàm morbum curare: ita pudor is magis eſt probandus, qui culpam impedit, quàm qui corrigit admiſſam.

QVOD

QVOD PVDOR NON SOLVM VIM virtutis, ſed etiam numinis, habeat in mulieribus. VII.

SCISCITANTI cuidam, cùm fortè ageretur, de admirabili animi præſtantia, qua, cum formæ dignitate, MARGARITA Aldobrandina cõmendatur, quænam virtus eſſet mulierum, non conſilium dixit, nõ armata fortitudo: ſed verecundia. Hæc enim non ſolum oris figuram, ſed etiam animi pulchritudinẽ honeſtat. Eſt autem verecundia, à verbo vereor dicta, quod verbum, vt ſpero, eſt rerum futurarum. Sed hoc inter metum, & verecundiam intereſt, quod ille ſit periculi: hæc nominis, & famæ: ille in corde, hæc ſita ſit in ore, & oculis. pudor dicitur alio nomine, quaſi pudendorum timor, qui ſitus eſt in incontinentiæ dedecore. Eorum decus quoniam vix reperitur, iccirco Pudorem cum Nemeſi in cœlum euolaſſe canit Heſiodus, æneo ſeculo. Quia autem magiſter, & dominus cõtinentiæ eſt pudor, Xenophon in Sympoſio pudorem Deũ fecit, pudoriſq; Ara Athenis fuit, in Acropoli, vt ait Heſychius.

QVOD PVDOR NATVRAM MAXImè attingat humanam. VIII.

CVM nonnullos aliquando cerneret perfricta fronte, in flagitiorum ſordibus inuolutari, dixit hominem, ſine pudore, & pudicitia, amittere, & nomen, & naturã hominis. Nec id falſo quidem. Nulla enim animans, præter hominem, ſenſum vllum habet pudoris. Itaq; veteres, quia natura ſolis vultum dedit ho

minibus, conſueuerũt dicere impudentes, os non habere. hinc laudatur Catonis Maioris in Lentulũ dicacitas: ille enim cum Lentulus in eius faciem expuiſſet, affirmabo omnibus dixit, Lentule, falli eos, qui te negant os habere. argutè hominis impudentiam notauit, etſi de ſputi natura dicere videbatur.

QVOD PVDOR VIRIVM PLVS habeat, quàm metus. IX.

INTERROGANTI cuidam quid in humano genere, dominaretur naturæ, & affectibus, pudor, reſpondit. cõprobarunt id, multis antè ſeculis, ſui exemplo Mileſię virgines. Nam cùm in dies propter vitæ cõtemptum, laqueo vitam finirent: decreuerunt Mileſij, vt virgines nudæ, cum eodem laqueo, quo eſſent ſuffocatæ, efferrentur. itaq; quas non potuit mortis metus: turpitudinis pudor in officio retinuit.

QVOD PVDORIS COLOR CENSEBAtur, apud veteres habere non ſolum ornatum virtutis, ſed etiam numinis. X.

INTERROGATVS quis inter colores omnium eſſet pulcherrimus, verecundiæ reſpondit. eſt enim pudor virtutis apparitor, & erroris ſimul cenſor. Itaq; Pudoris ſimulacrum in Laconia ſpectabatur. Fuit item olim Numus, cuius inſcriptio erat, Sabina Auguſta Hadriani Aug. ab altera parte, dea ſedẽs velo faciem cooperta, & digito dextræ, indice ad iugulum admoto conſpiciebatur, cuius inſcriptio erat Pudicitia. Hæc.n. vis eſt pudoris. & pudicitiæ, vt qui pudens ſit, multò magis dedecus

quàm

quàm mortem timeat: præclarũ eſt Iulij Cæſaris exemplum, qui tribus & viginti vulneribus confoſſus, vt verecundiam, ſi minus vitam poterat, retineret: in ipſo mortis puncto, togam vtraq; manu dimiſit, vt inferior pars corporis recta collaberetur, nec quicquàm cadendo, non modeſtum admitteret.

QVOD OLIM NIHIL IN REGE ſtatuebatur eſſe potius Modeſtia. XI.

SOCRATES Cygni nomen cùm ſibi vſurpaſſet: Pyrrhus Aquilæ: Accipitris Antiochus, Dixit quia Cygnus eſt ſapientiæ Typus, ſoluſq; Deus eſt ſapiens, arrogantius à Socrate id eſſe factum: à Pyrro contra abiectius, eò quòd hæc ales Symbolum ſit fortitudinis in bello, qua, iure vti volentibus, nihil accidit opus eſſe: omnium ſapientiſſime feciſſe Regem Antiochum, eò quod Accipiter interpretationem habeat modeſtiæ, quæ nihil eſt, niſi veluti quædam virtutum omnium menſura. Itaq; ſicuti aues cæteræ ſurſum volaturæ, per circuitus aſcendunt, atq; id cum faciunt tranſuerſo, & tortuoſo volatu vti coguntur: ita ſolus accipiter ſurſum verſus tendens, recta effertur, eiuſq; delapſus ad terram, recto tendit tramite. non ſolum enim modeſtia eſt ars rerum agendarum, ſed etiam, & loci, & temporis, quo quid agendum ſit.

QVOD VBI NON ADSIT MODESTIA, ibi minimè ſeruari poßint concordia. XII.

EIVS in primis dicebat laudandam eſſe modeſtiam, cui cum plurimum liceret, minimum tamen exiſtimaret decere. eſt in hac leui admonitione, gra-

uis aduerſus inſolentes obiurgatio. Nam Pierus, vt eſt in fabulis, ex Euippe vxore nouem ſuſcepit filias, quæ propter cantus ſuauitatem animo elatæ, nihil ſunt veritæ Muſas ipſas, ad certamen cantus prouocare. quocirca à Muſis ſuperatæ in totidem picas ſunt mutatæ: factumq; eſt, vt deinceps Muſæ earum nomen, veluti trophæum vſurpantes, Pierides ſint cognominatæ. At cur illæ in picas? quia vbi deeſt modeſtia, ibi ſemper indignatio præſens eſt, & diſcordia, vt patet in fabula. Nam pica Marti, qui gaudet diſſidio, eſt ſacra.

QVOD MINIME SIT VERBOSA modeſtia. XIII.

SCISCITANTI cuidam cuius maximè, inter quoſdam diſertos viros, probaret eloquentiam: eius reſpondit, qui nouit in loco tacere. plura enim decet ſapientem tacere, quàm loqui. atq; ſilentium in primis, mulieri, & fatuo maximum eſt ornamentum. vim enim habet reſponſionis, quæ caret reprehenſione. Nam vituperari poteſt oratio: non poteſt ſilentium, quod apud ſapientes, eſt reſponſi loco. Itaq; Simonides modeſtiam cùm ſeruaret ſilendo potius, quàm dicendo; interrogatus, cur id faceret, quia reſpondit
nunquam tacuiſſe me pœnituit:
pœnituit ſæpè eſſe
locutum.

QVOD ET PRVDENTIÆ, ET VE-recundiæ, & ſilentij comes ſit modeſtia. XIV.

CVM nihil ſit honeſtum, quod modeſtia vacat: interrogatus ab amicis, qui in rebus agendis, decoraretur ornamentis modeſtiæ: qui tria reſpondit præcepta tenet Socratis: hoc eſt, cuius mentem prudentia: faciem verecundia: linguam verò honeſtat ſilentium. Nec enim ab eo res magnæ ſuſtineri poſſunt, cui tacere eſt graue: nec loqui nouit, qui tacere neſcit: in iurgijs verò acriores ſæpè ſunt aduerſus petulantes, & maledicos ſilentij, quàm orationis aculei. præclarum igitur in eo eſt modeſtiæ genus, qui & tacere, & loqui in loco didicit.

QVOD VT MODESTIA VIRTVTVM; ita modeſtiæ ornamentum ſit ſilentium. XV.

RES eſt, inquiebat, ſapientiæ plena ſilentium: Ideoq; fatuus, à fando dictus eſt, quia qui à ſapientia nudus eſt, ſilentium neſcit tenere. Deus igitur qui ſapientiſſimus eſt: parciſſimus eſt orationis. Quare homines dicendi: ſuperos tacendi habemus magiſtros, quorum in ſacrificijs vnicè laudatur ſilentium. Romani igitur olim Angeronam Deam fecerunt ſilentij: cuius os, vt ſcribit Macrobius obducebatur indice, vt ſilentium denunciaret. Eſt enim index ſacer prudentiæ, quæ docet, & loqui, & tacere. Angenora autem ab angendo eſt dicta, eò quòd, vt refert Verrius Flaccus, eos ab angore, & animi ſolicitudine, ad maximam voluptatẽ traducat, qui ſuos angores, & moleſtias, vbi res, tempuſq; poſtulat, ferunt diſſimulando.

QVOD ARS STATVATVR DICENDI: virtus vero ſilendi. XVI.

INTER totius Græciæ ſapientes, Pittacum in modeſtiæ doctrina, dixit maximè eſſe laudandum. Hic enim nihil, in hac vna virtute, potius ducebat eſſe ſilentio. Quare ab Ægyptiorum rege rogatus, vt quod optimum eſſet, ex animante ad ſe mitteretur: ille linguā miſit: deintegrò item rogatus, vt peſſimū quod eſſet mitteret, linguā pariter mandauit, innuens nihil eſſe, neq; melius ſi modus adſit, neq; deterius ſi abſit, oratione. omni enim gladio acutior eſt oratio: quæ non ſolum armatos, ſed ēt procul abſentes lædit. Anacharſis igitur linguæ procacitatē, omni flagitio libidinis fecit capitaliorem: nec id verbis ſolum: ſed etiā ſignis omni ſole clarioribus. Nā in conuiuio apud Solonē, vt hoc ipſum teſtatū relinqueret, ita decubuit, vt læua comprimi pudenda viderentur: os aūt eò dextra arceret, ꝙ freno valentiore putaret linguā indigere. Nec enim facile tot recenſueris hoīes, qui venereorū intēperantia, calamitatē ſibi cōtraxerint: quot ciuitates, Principatuſq; arcanorum diſſoluerit enudatio.

QVOD PRINCIPIS SIT PLVRIMVM cogitare, minimum loqui: ſumma verò quæq; operari. XVII.

NIHIL, inquiebat, eſt princeps, niſi reip. villicus, à quo imperij voragines, & ſcopuli non verbis, ſed factis ſunt infringendi. Quare cùm nihil ſit neq; glorioſius, neq; difficilius, quàm audire, & ſilere, haud quicquam eſt principis dignitati conſentaneum magis, quam ſilentium.

Nam

Nam cur aut Aquila apud Romanos, aut Crocodilus apud Ægyptios Principis Hieroglyphycum conſtituebatur? vt rem docerent eſſe regiam ſilentium, atq; agendo, non dicendo adminiſtrari imperium. Illa enim ſola inter alites volat ſine clangore: hic autem, vt inter aues Ciconia, lingua, & voce deſtituitur. Nam quaſi quædam regula benè agendi, & intelligendi, quorum cauſa homo in lucem eſt editus, in ſilentio vno eſt poſita. Siquidem quæ mala nunquam audimus: illa nec cognoſcimus, nec incognita appetimus.

QVOD ALIIS DICERE, ALIIS magis expediat tacere. XVIII.

INTERROGANTI cuidam qualis eſſet ars, & dicendi, & tacendi: qualis eſt, reſpondit, natura magiſtra, in Cicadarum genere. Reſponſio certè plena ingenij, & doctrinæ. Nam inter Cicadas mares, quæ apud Heſiodum dicuntur Achatæ, perpetuo canunt: fœminæ contra, quæ Tettigonæ nuncupantur, voce deſtitutæ, perenni ſilentio vtuntur. Hoc ipſa loqui videtur ſimilitudo, nunquam neq; ſapienti eſſe tacēdum: neq; ſtulto loquendum. Res enim eſt non ſolum honeſta: ſed etiam tutiſſima imprudentibus ſilentium. Etenim in rebus bonis, habetur pro aſſeueratione: in peruerſis pro inficiatione: ac demum, vt vulgatum eſt, apud iuriſperitos: expreſſa ſæpè nocent: non expreſſa nunquam nocent.

QVOD ET DECORVM, ET TVTVM ſit cum Principibus minimum loqui. XIX.

ETSI non tam exornationis in dicendo, quàm veritatis momenta quærenda ſunt: vera tamen omnia ingeruntur vberius, quæ funduntur cum orationis ſuauitate. Ita ſapientiſſimus ille Antiſtes res ſæpè graues, & acerbas, lenitate dicendi compenſat. Itaq; à quodam equite, qui principum conſuetudinem affectaret, interrogatus quid in eorum familiaritate, potiſſimum eſſet cauendum: plurimum, reſpondit, loqui. aurea certè, & magno philoſopho digna ſententia. Nec enim Calliſthenes, ſi non cum Alexandro, ſed cùm æqualibus libertate loquendi vſus eſſet, miſerandas in cauea pęnas dediſſet ſuæ licentiæ.

QVOD SAPIENTI PROBANDA EST magis, quàm appetenda Regum familiaritas. XX.

CVM fortè de cæde in regia, patrata ageretur Car. Lotharingiæ, dixit Regum probandam magis, quàm appetendam eſſe familiaritatem. vitam enim perdit is, qui eorũ gratiã amittit. Idipſum ſentiens Lacydes Cyrenæus plurimis promiſſis accerſitus ab Attalo Rege vt in ſuam amicitiam, & regni ſocietatem veniret: reſpondit Regi ſe ingentem gratiam habere: negauit tamen ſe venturum, eò quòd Philoſophi, à Regibus, vt picturæ, & imagines, eminus, non cominus ſint videndi,

DE FELICITATE TITVLVS XXIV.

SI quæ datur, in hoc vitę curriculo felicitas: non ea eſt, quæ vulgo videtur, vt pauperi, pecunia: ægroto ſanitas, ignaro doctrina: ſed hominis perfecto, quæ eſt iuſtè operari, & doctè ſentire. Etenim non poſſidere, ſed non egere felicitas eſt. Quare locuples poteſt eſſe miſer: non poteſt temperãs, rebus etiam deſtitutus, non eſſe beatus. Perfectio enim cupiditatis eſt temperantia: voluntatis iuſtitia: prudentia mentis, fortituto partis iraſcibilis: atq; vt vno verbo dicam, perfectio hominis eſt ſapientia, vt ignorantia, ſumma eius calamitas, & miſeria. Sed duplex eſt felicitatis ratio, vna perfecta, quam qui habet, nihil eſt, quod amplius deſideret: altera imperfecta, cuius Supellex, in externis bonis eſt poſita. Multum amo Cardinalis ALDOBRANDINI felicitatem: non parum ſummos duos eius Buccinutores IOANNEM BAPTISTAM Sormanum, & PETRVM ANTONIVM Magnocaballum, acres iuris, & iuſtitiæ propugnatores, qui tamen in eodem virtutis, & doctrinæ genere, ſic inter ſe differunt, vt alter Romæ ius Pontificum: alter Medulani, in ſummo doctorum collegio, ius Cæſareum magis tueatur. Nam Sormanus vir æquiſſimus, ſui ordinis dignitatem plurimo decorat virtutis ſplendore. Eſt enim tam acris ingenij, & ſynceræ integritatis, vt cum lucro habeat ipſa corporis, & fortunæ detrimenta, tum vix vlla ſit ciuitatis gloria, ad quam, per eius virtutem, non plurima fiat acceſſio. Siquidem

quemadmodum olim de Catone Cenſorio prædicabant Romani, optima eſt IO. BAPTISTÆ Sormani virtus, ſuadendi magiſtra: ſummus conſulendi opifex, eius doctrinæ ſenſus: atq; maximus augendi imperij magiſter, iuſtitiæ fundus, & pietatis. Quare libenter ad recunditas Cardinalis P. ALDOBRANDINI virtutes illuminandas vtor tanti viri ſplendore. Cæterum PETRVS ANTONIVS Sapientiſſimi Senatoris HIERONYMI Magnocaballi filius, non ſolum nominis, ſed etiam paternæ virtutis hæres, tanta pietate, & iuſtitia: ad laudes eas ſummi Antiſtitis vehitur, vt veluti cœleſti quodam Pegaſo elatus, multa fundere videatur, quæ potius de cœlo, quàm ab homine videar capere, vt idipſum nunc loquuntur hæc Apophthegmata.

1 *Quòd ex virtute generis, ſemina quædam trahantur felicitatis.*
2 *Quòd non parua ſint felicitatis adminicula in educatione,*
3 *Quòd non Minima pars felicitatis hauriatur è natione, & patria.*
4 *Quòd non Regni, ſed virtutis præmium ſit felicitas.*
5 *Quòd ſolus ſapiens nouit bonis feliciter vti.*
6 *Quòd ex animo felicitas: ex corpore animus cognoſcatur.*
7 *Quòd virtus cum ætate: felicitas treſcat cum virtute.*
8 *Quòd felicitatem maximè attingat vir ſapiens.*
9 *Quòd veluti quædam felicitatis ſabrica ſit, in temperandis affectibus.*
10 *Quòd felix ſit, non qui bona poſſideat, ſed qui bonus ſit.*
11 *Quòd extra fines virtutis exulent omnia mala.*
12 *Quòd publicæ ſocietatis felicitas, concordia eſt depaſcenda.*
13 *Quòd iuris æquabilitas, vrbis ſit felicitas.*
14 *Quòd veluti quidam publicæ felicitatis cibus ſit ciuium concordia.*

Quòd

15 *Quòd Principis eloquentia non vacet felicitate.*
16 *Quòd in Principe non ſolum ingenij, ſed etiam Imperij, facultas dicendi, olcat felicitatem.*
17 *Quòd iuris felicitas, in Principis eloquentia, maximè ſit fundata.*
18 *Quòd ne Dicteria quidem principum, ab inſtructione publicæ felicitatis videantur nuda.*
19 *Quòd publicæ felicitatis opifices, ſint viri eloquentes.*
20 *Quòd dicendi facultas, veluti quoddam, ad felicitatem imperij, ſit vehiculum.*
21 *Quòd feliciter imperet, qui manibus potius: quàm lingua loquatur.*
22 *Quòd in Imperio, felicitatis propugnaculum ſit eloquentia.*

QVOD EX VIRTVTE GENERIS, ſemina quædam trahantur felicitatis. I.

SOLITVS eſt dicere, magnam partem felicitatis eſſe benè naſci. Nec huic eius ſententiæ, deeſt antiquitatis auctoritas. Nam cur à Poetis Theſeus Neptuni: Hercules Iouis: Achilles Thetidis: Æneas Veneris: Romulus Martis dictus eſt filius? vt certe docerent virtutem generis, poſteris eſſe veluti quandam ſupellectilē felicitatis. Itaq; apud Spartanos legibus cautum erat, vt nemo matrimoniū contrahere poſſet, niſi præclaro aliquo facinore perpatrato. volebant enim nō prohibere matrimonium: Sed vetare ex timidorū matrimonio, ignauos naſci liberos. Atq; ſi propter appetitū matris, infantibus in vtero inuruntur næui: quibus vitiorum maculis, ab improbis parētibus aſpergentur infan-

infantium animi? Maior certè quidem ars eſt generandi hominem: quàm pingendi. Nam in pictura forma: in procreatione affectus etiam fingi debent.

QVOD NON PARVA SINT FELICItatis adminicula, in educatione. II.

CVM aliquando de educatione puerorum incidiſſet oratio: dixit pluris eſſe benè inſtitui: quàm benè naſci. Graue eſt non ſolum Ptolemæi Ægypti Regis teſtimonium, qui ex Lago patre gregario Alexandri milite natus, per virtutem, Regnum eſt aſſecutus: ſed etiam naturæ ſingulare exemplum. Etenim ſi ſpinæ truncus ſurculo Perſici inſeratur, meſpila inde oriuntur maxima. Nam quod in reliquis plantis arbor non ſua, ſed ſurculi fert poma: ex eò fas eſt intelligere, naturam arte ſuperari. hac autem opinione Philippus Macedoniæ Rex permotus, nato Alexandro, ſcripſit ad Ariſtotelem, non tam gaudere ſe, quod ſibi natus filius eſſet, quàm quòd natus eſſet Ariſtotelis tempore, à quo erudiri poſſet.

QVOD NON MINIMA PARS FELIcitatis, hauriatur è natione, & Patria. III.

CVM interdum de patria, eiuſq; nomine ageretur, quod denominationem habeat à patre: articulum à matre, quia vim & naturam retinet vtriuſq; parentis: Dixit iccircò nihil in amore eſſe charius patria, quòd non minimam anſam mortalibus porrigat felicitatis. Nam quemadmodum alia regio, aliam plantam parit:

ita

ita diuerſas nationes, diuerſi mores, & diſparia ingenia ſequuntur. Quare Plato tribus de rebus, ſuperis gratias agere ſolitus eſſe dicitur: primùm quia natus eſſet homo, quod generi tribuitur: deinde quoniam Socratis tempore, quo vſus eſt præceptore, quòd ad educationem refertur: tum deniq; quod Græcus, quod patriæ eſt, & nationis.

QVOD NON REGNI, SED VIRTVTIS *præmium, ſit felicitas.* IV.

QVIA vulgò homines, vbi pluſculum acceſſit pecuniæ, efferuntur animo: eumq; in primis tanquam beatum ſuſpiciunt, cui ſunt amicitiæ, liberi, propinqui, affines, opes, honores, poteſtas, ac demum diuitiæ, interrogatus aliquando, quis eſſet felix, non qui Regna poſſidet: ſed qui Deo reſpondit, eſt ſimillimus, hoc eſt qui nec lædere, nec lædi nouit iniuria. alterum eſt facile: alterum tam difficile, vt qui hoc præſtat, nullos ſenſus in viuo corpore, niſi virtutis videatur retinere. Nam, vt refert Sophocles, in Iouis tantum hortis aurea felicitas colitur.

QVOD SOLVS SAPIENS NOVIT *bonis feliciter vti.* V.

CVM in hoc vitæ curriculo, acres ſæpè ſunt dolorum aculei, nec hebetes iniuriæ morſus, quibus obiecta eſt hominis vita: ſolitus eſt dicere felicitatem eſſe voluptatem, quam nec mæror ſequeretur, nec turpitudo. Nam cui res eſt, & ingenium ſimul, is demum ad extremum vſq; vitæ nouit, frui bonis, In hanc tanti Antiſtitis ſentẽtiam venit

Pariter

pariter Antiſthenes cùm inquit nihil eſſe felicius, quàm beatum mori. qui enim feliciter vitam obſoluit, nihil ei, quod melius agat, ſit reliqui.

QVOD EX ANIMO FELICITAS: ex corpore animus recognoſcatur. VI.

SCISCITANTI cuidam vndè petenda eſſent felicitatis monimenta: incerta dixit, non tamen contemnenda è corpore. Nam ſicuti animus obſes eſt felicitatis: ita corpus animi eſt ſimulacrum. itaq; Socrates cùm Xenophontem rara indole vidiſſet, ſtatim recognouit, quæ in eius animo ſemina eſſent felicitatis. ab eo igitur ſciſcitatus eſt, vbi fierent nundinæ, is cùm appoſitè reſpondiſſet: interrogauit, vbi fierent boni viri, negauit ſe ſcire. tum Socrates me igitur, ait ſequere. Nec enim frons tacita ſolum eſt animi oratio: ſed etiam morum interpres, & nuncia.

QVOD VIRTVS CVM ÆTATE: felicitas creſcat cum virtute. VII.

QVONIAM neſcit virtus otiari, creſcitq; virtutis gloria cum ætate, dicebat eum eſſe felicem, cui vita fruendo contigiſſet, ad ſenectæ limen peruenire. Acta enim ætas, vt ait Cic. honeſtè, ac ſplendidè tantam affert conſolationem: vt eos, qui ita vixerint, nec tangat ægritudo, & oblectet ſumma præmij expectatio.

QVOD

QVOD FOELICITATEM MAXIME attingat vir ſapiens. VIII.

CVM pauperem miſericordia: diuitem ſequatur inuidia: ſapientem tranquillitas ab omni ægritudine remota, conſueuit dicere eos eſſe felices, qui virtutum non ſolum habent cognitionem, ſed etiam poſſeſſionem. Hoc vox ipſa etiam aperire videtur. Fœlix enim dicitur quaſi fœtus legis: Beatus tanquàm bonis omnibus auctus: diues veluti diuinus, quod rebus nullis indigeat. Hùc pertinet Paridis fabula. Nam quorſum illæ inter Palladem, Iunonem, & Venerem de elegantia formæ controuerſiæ? tria ſi bene attendimus conſtitüuntur vitæ genera: vnum intelligendi: agendi alterum: vltimum voluptati deditum, quod Ilij fuit exitium. qui vera intelligit doctus dicitur: qui iuſta operatur, vir bonus nuncupatur: qui autem vtrumq; facit, ſapiens nominatur, qui felix eſt, & beatus: Biſq; cenſetur viuere, quia vitam agit docti ſimul, & boni viri.

QVOD VELVTI QVÆDAM FELICItatis fabrica ſit in temperandis affectibus poſita. IX.

QVONIAM & virtus, & vitium ex affectu, non euentu, apud iuriſperitos, penditur, dicebat felicitatis fabricam in temperandis affectibus eſſe ſitam. Hos igitur maximè ſpectant, & iuriſperiti, & medici. illi, quia anſam in maleficijs, habet affectus culpæ, & innocentiæ: hi verò quoniam in ipſo affectu, ſæpe reſidet ſalutis vis, & medicinæ. Itaq; Galenus ſcribit ægrotos

quotan-

quotannis non paucos ſaluti, ex animi perturbationibus eſſe reſtitutos: & Æſculapius Mimos etiam riſus conciliatores adhibuit ſæpè medicinæ loco.

QVOD FELIX SIT NON QVI BONA *poßideat, ſed qui bonus ſit.* X.

QVIA felicitatis commendatio in virtutis alicuius inuolucris, oportet ſit demerſa: interrogatus, cur qui boni viri ſunt, contemnant diuitias: quia dixit, virtus non eget externis bonis: quibus nec augeri, neç comminui poteſt. Itaq; laudatur Diogenes, qui præclarius duxit pecunijs non egere, quàm abundare.

QVOD EXTRA FINES VIRTVTIS *exulent omnia mala.* XI.

CVM ex probitatis coloribus, & doctrinæ pigmentis, benè inſtitutæ ciuitatis forma eſt deducenda: quærenti quænam ciuitas præ cæteris eſſet felix, & beata: ea reſpondit, quæ non eget virtute. Virtus enim vt aſſeuerabat Zeno Critticus, Stoicorum princeps ſola ſufficit, ad bene beateq; viuendum. Etenim ſi in Phalaridis tauro vratur, qui bonus eſt, quia virtus eſt ſummum bonum, nec vri poteſt: in ipſo incendio felicitatem minimè deponat.

QVOD

QVOD PVBLICÆ SOCIETATIS felicitas, concordia eſt depaſcenda. XII.

SOLITVS eſt dicere, ciuibus iter ad felicitatem, vna beneuolentiæ ſemita patere: duo eſſe concordiæ vincula beneficium, & gratiam, quorum alterum beneuolentiam connectit accipientium: altera largientium amorem, & ſtudium ſtabili charitate confirmat. Communis enim ſpes, communiſq; metus maximam concordiam parit. illa vt quæ animo concepimus bona conſequamur: hoc, vt quæ imminent mala, ſubterfugiamus.

QVOD IVRIS ÆQVABILITAS, vrbis ſit felicitas. XIII.

SCISCITANTI cuidam, qua arte communis ſocietatis felicitas, & concordia ſeruaretur potiſſimum à Principe: iuris reſpondit æquabilitate. Hoc vno reſponſo docuit, Principi cauendum eſſe, ne maior pœna ſit, quàm culpa: neue iiſdem ex cauſis, alij plectantur, alij impunè dimittantur. Nihil enim iniquius tulit P. R. quàm ab Imperatore Domitiano in eodem crimine depræhenſos pauperes capitali ſupplicio damnari: opulentiores, ac diuites pecunia mulctari, & patrimonijs exutos abſolui.

QVOD VELVTI QVIDAM PVBLICÆ felicitatis cibus ſit, ciuium Concordia. XIV.

CONSVEVIT dicere vrbis felicitatem non ſolum naſci ex ciuium concordia, ſed etiam eius veluti quodam pabulo nutriri. Hinc vetus illa Saluſtij ſententia.

ſententia. Concordia paruæ res creſcunt: diſcordia maximè dilabuntur. Ex huius eluuione peſtem omnem imperij parari ſcribit Xenophon; Platoq; in lib. de Rep. eam pluribus deteſtatur rationibus. Hæc quippè illa eſt furia infernalis, quæ à Poetis Alecto dicitur à Græcis ἀλύκτω diſſoluo, quòd regna vniuerſa, per diſcordiam diſſoluantur, & intereant. Itaq; Antiſthenes concordiam inquiebat, quouis muro eſſe firmius munimentum.

QVOD PRINCIPIS ELOQVENTIA non vacet felicitate. XV.

PRINCIPI ſuam etiam tribuebat eloquentiæ felicitatem. interrogatus enim quis feliciter regeret, non qui opulentia dixit, aut robore plurimum pollet, ſed eloquentia. Hæc enim ſola poteſt omnia rationis imperio ſubijcere. Homerus itaq; Vlyſſi cùm artem tribuit imperandi, illum maximè eloquentem facit. Heſiodus verò Reges eos, qui Deo ſunt chari, omnes ait, diuinitus eloquentia donari: qua detracta nulla diuturna poteſt remanere Principis gloria. Quocirca repræhenditur Pericles, qui cùm in re bellica, & conſilio rerum geſtarum floreret gloria, voluit ſtylo neglecto, Athenis à Phidia pingi, in ſcuto Mineruæ, cum Amazone pugnans. Multò enim maior eſt ſtyli, quàm picturæ gloria. illa igitur iure C. Cæſarem compulit vt rerum à ſe geſtarum ſcriberet commentarios. Nam imaginis pulchritudo pictoris eſt opus: quæ autem virtus ſcriptis celebratur, non ſcriptoris eſt, ſed eius, qui ea virtute fuit honeſtatus. Quare præ ſtylo iacet omnis imaginum gloria.

QVOD IN PRINCIPE, NON SOLVM ingenij, ſed etiam imperij, facultas dicendi alat Felicitatem. XVI.

INTERROGATVS quæ facultas dicendi, in Principe vim oleret felicitatis, ea, reſpondit, qua floruit C. Cæſar. Is enim omnium oratorum facultatem exæquauit, orationis lepore. Homerus Menelaum dulcem in dicẽdo fuiſſe tradit: breuem tamen. Nam breuitas in Principibus laudatur. Lacones ex omnibus Græcis, breui genere dicendi laudantur, ac in primis eorum Rex Ageſilaus.

QVOD IVRIS FELICITAS IN PRINcipis eloquentia, maximè ſit fundata. XVII.

FAVSTVM felixq; iuris propugnaculum, in Principis eloquentia, dicebat eſſe fundatum. Teſtis eſt Iulianus Cæſar. Nam Delphidius orator cùm aliquando Numerium Narbonenſis prouinciæ paulò antè Præſidem repetundarum accuſaret: iſq; documentorum inopia, in ipſo curſu orationis deficeret, exclamauit optime Cæſar, Ecquis nocens eſſe poterit vſpiam, ſi negare ſatis fuerit? tum ſcite Iulianus inquit, Ecquis innocens fuerit, ſi accuſaſſe tantum ſatis erit? Hoc vno dicto, & innocentem virum ſeruauit, & petulantem ſimul tabulam repreſſit.

QVOD

QVOD NE DICTERIA QVIDEM Principum, ab inſtructione publicæ felicitatis videantur nuda. XVIII.

INQVIEBAT Principum dicteria nunquam ad imperij felicitatem, non eſſe plena inſtructionis, & diſciplinæ. vulgare eſt, & peruagatum Annibalis exemplum. Nam Antiochus Populo Romano bellum illaturus, cùm copias in ordinem duxiſſet, non tam armis inſtructas, quam auro, & argento ornatas: Annibalem rogauit, num ſatis eas Romanis eſſe putaret, tum Pœnus, ſatis, inquit, eſſe puto, etſi ſunt auariſſimi. Rex de victoria rogabat: ille de præda reſpondebat.

QVOD PVBLICÆ FELICITATIS opifices ſint viri eloquentes. XIX.

SOLITVS eſt dicere publicæ felicitatis opifices, & Architectos, in Imperio eſſe viros eloquentes. Itaq; Agamemnon apud Homerum, principes aliquot exoptans, ad Troiam expugnandam, non Achilli, non Diomedi: Sed Vlyſſi, & Neſtori, qui facultate dicendi plurimum valebant, optabat ſimiles. Sic Pyrrhus Cineam dilexit: Sic Alexander Oratorem Phocionem amauit, vt victo Dario, cùm Magnus ex virtute cognominaretur, nulliq; mortalium per literas ſalutem diceret, Phocioni tamen, & Antipatro, in ipſo literarum ingreſſu, & veſtibulo, plurimum impertiret ſalutis.

QVOD

QVOD IN DICENDI FACVLTATE veluti quoddam, ad felicitatem Imperij ſit vehiculum. XX.

QVIDAM interroganti quod imperij eſſet, ad felicitatem vehiculum: non armati exercitus robur, dixit, ſed vis, & facultas dicendi. Itaq; tanti apud Alexandrum Magnum fuit Ilias Homeri, vt eam, rei militaris viaticum, atq; virtutis, & gloriæ officinam nominaret. Nec eloquentiæ præſidio modo, ſed etiam eloquentium virorum familiaritate adiutus Magnus euaſit. Probauit id etiam per Oneſicrum oratorem, quem in bello nunquam à ſe dimiſit, reſq; à ſe geſtas literis ab eo mandari voluit.

QVOD FELICITER IMPERET, QVI manibus potius, quàm lingua loquatur. XXI.

QVONIAM par eſt in Rep. vt imperet qui plùs ſapiat, obediat, qui minus: atq; vt ſapientia ingenij: ita ſapientiæ decus eſt eloquentia, interrogatus aliquando quos potiſſimum inter viros eloquentes probaret, eos dixit, qui moribus potius, quàm verbis fidem faciunt. Nam qui benè loquitur, nec rectè viuit, ſimilis eſt, vt Diogenes ſolitus eſt dicere, Citharæ, quæ prodeſt audientibus, ipſa verò nec ſentiat quicquam, nec audiat.

QVOD

QVOD IN IMPERIO FELICITATIS propugnaculum ſit eloquentia. XXII.

CVM eloquentia non ſit alicuius doctrinæ conſors, & ſocia, ſed omnis doctrina, conſueuit dicere, nullum eſſe imperij vallum firmius: quàm quod in eloquentiæ campo eſt fundatum. Nam cur Argus, vt eſt in fabulis, à Mercurio capite eſt truncatus? cedit prudentia, in qua & conſilij, & armorum vis omnis eſt poſita, eloquentiæ: non eloquentia, in rerum deliberatione prudentiæ. Iccirco enim Mercurius geſtat caduceum, qui à cadendo eſt dictus, quòd eloquentiæ interuentu, ſtatim cadant controuerſiarum tempeſtates omnes, & procellæ. Non temerè igitur olim Athenis Statua Mercurij ſpectabatur quadrata. Nam quadrat eloquentia perſonis, rebus, atq; locis vniuerſis, nec vis, nec dolus vllus ei poteſt reniti.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Laus Deo.

ALFREDO FARNESI
ROMA
Legatore di Libri